TRACTATUS
DE GRADIBUS COGNATIONUM
PARS SECUNDA, ET TERTIA.

AUCTORE

D. MATTHÆO - JANUARIO SIBILIA
Neapolitano, S. Theol. D. *ac U.I. Interprete.*

Opus abſolutiſſimum, & tam publicè in ſcholis profitentibus, quàm in utroque foro verſantibus apprimè neceſſarium.

Cum Indice copioſiſſimo totius Tractatus,

In cujus fine habes Conſilium Unicum, atque Singulare de Tutela Teſtamentaria Extraneorum in Perſonam Clericorum.

Ad SS. Patrem, ac D. N.

CLEMENTEM XI.
ROMANUM PONTIFICEM.

NEAPOLI,
Ex Typographia Joſephi Roſelli M. DCCI.
Superiorum facultate.

SANCTISSIMO AC BEATISSIMO PATRI, ET DOMINO NOSTRO

CLEMENTI XI.

HERARCHÆ OECUMENICO PONTIFICI OPTIMO MAXIMO

SACERDOS MATTHÆUS-JANUARIUS SIBILIA NEAPOLITANUS SAL. FEL. P.P.

BEATISSIME PATER.

SI unquam votivæ illæ ex inutili ligno dolatæ tabellæ, queis, vel in gratiarum redhibitionem, vel in accepti beneficii hoſtimentum, Cœlites a fidelium pietate donantur, probro magis, quàm eorum decori verterentur; Profectò qualecunque do-

narium tibi pro eà, in quà positus es rerum magnitudine, non omninò suppar, injurium veniret, ac contemnendum. Nihilominus quùm in datis non res ipsa, sed offerentis voluntas in primis attendatur, juxtà græcorum paræmiam Ἐνίων δέ τε θυμὸς ἄριστος, quod latinè *munerum animus optimus*, Audax factus sum ego, ad SANCTITATIS TUÆ pedes humillimè provolutus, exilem hunc ingenioli mei, plebejumque conatum, Operis nempè DE COGNATIONUM, ut ajunt, GRADIBUS segmentum alterum tibi sacrare, sistere, devovere; quod cæteroquin ad te jure optimo spectare videbatur, ubi primigenia ejus lucubrationis pars, altero ab hinc anno publici Iuris facta, fœlicis recordationis Innocentium XII. meritissimum decessorem tuum vindicem sortita sit. E re nata hic, arreptaque, ut fieri assolet, occasione, unicè, ut munusculo lucem ex ingenti lumine tuo mutuarem, illiusque ignobilitatem temperaturus, quam ut ex oratione mea major fieres, laudum tuarum amplum uberrimumque campum, virtutum, quà intellectivarum (ut Scholæ loquuntur) quà moralium, quibus veluti per scalam, ad summum hunc dignitatis apicem

matu-

maturasti, feracem indeficiemtemque segetem, perquàm libentissimè ingrederer, At cui Oceanum exhaurire datum est? Siquidem

. . . . Si carmen in unum.
Tantarum sperem cumulos advolvere rerum, Claudian. Panegyr. 1. Stilicon.
Promptotius imponam glaciali Pelion Ossæ:
Si partem tacuisse velim, quodcumque relinquam
Majus erit . . . . . .

reverentius igitur (ut Plinii ad Trajanum verbis utar) *judicavi integras illibatasque cogitationibus asservari, quàm carptìm breviterque perstringi, quia ferè sequitur illa quidem, de quibus taceas, tanta quanta sint esse videantur.* Plin. Jun. Panegyr. Trajani.

Factum tamen illud egregium, singulare, memorandum, ac ideò per omnia tuum, quod, veluti ab ungue leonem, cæterarum animi tui dotium in concussum testimonium, luculentissimumque satissuperque præbebit, tacuisse piaculum mihi erit, conspirantibus, nimirùm, omnium votis purpuratis Patribus de te in Pontificem Maximum deligendo, ut conciliandis Partium studiis in Republica Christiana pacis bonum turbare meditantibus vigilantissimum,

Pa-

Paſtorem, & Patrem præficerent; ea fuit animi tui temperantia, ea modeſtia, ut tanto honoris faſtigio, ò factum benè, & ut Poeta ait.

. . . . auditum, quod vix venientia credant.
Secula . . . . .

te abdicare non dubitaſti; ità ut cum renuiſti, tunc majoris dignitatis, ſi majus aliquod in rebus humanis dari poſſet, digniſſimum te demonſtraſti; eàque in ſententià nervis omnibus tenax, uſque modo ſtetiſſes, ſi te ad eam provinciam, non hominum duntaxat, ſed ſuperum in primis conſilio vocari non cognoviſſes; Et ſanè quàm adamuſſim præconceptæ de te Patrum opinioni reſponderit fides tua, dum concredito penſo invigilas conſultius miſſum faciam, quàm temerè, & turbulentèr, quædam carpere, & delibere, potiſſimum ubi nota modeſtia veſtra id minimè pateretur. Si tanta eſt igitur animi tui humanitas, tanta manſuetudo Beatissime pater, puſillum hoc, quod ſubmiſſà animi mei devotione, offerumentum proponitur deſpicatui ne ducas, illudque in mentis meæ ſignificationem, obſequii pignus, & monumentum, acceptum teneas obſecro, illi favorem tuum intercede, gratiam impertiri, qui ſoles his neminem beni-

gniſſimè

gnissimè fraudare : Sic te fortunet sospitetque Deus, ò Christianæ Religionis Hierarcha, Orbis basis, ac fulcrum, literarum decus, & ornamentum, ad ineuntis seculi bonum fœlicitatemque; ut vovebamus Neapoli IV. Idus Martias Anno Æræ Christianæ. M.DCCI.

ILLVSTRISS. E REVERENDISS. SIG.

IL Dottor D. Matteo Gennaro Sibilia supplicando fà intendere à V.S. Illustris. come desidera fare stampare un suo trattato intitolato *De Gradibus Cognationum*, per il che supplica V.S.Illustris. à commettere la revisione di quello, e l'haverà à gratia, ut Deus.

D.Canonicus Cymiliarcha, D. Aloysius Capycius Galeota videat, & in scriptis referat. Die 20. *Januarii* 1697.

JO: ANDREAS SILIQ.VIC.GEN.

Can. D.Januarius de Auria Deput.

PErlegi secundam, & tertiam partem Tractatus *De Gradibus Cognationum* Auctore J.U.D. D.Januario Sibilia, opus quidem omnibus numeris absolutum; ac materiam utilissimam dilucidè non minus, ac subtiliter maximo cum Reipublicæ litterariæ commodo complectens. Quare meo voto, cum nihil contineat, quod Orthodoxæ Fidei, aut bonis moribus non congruat, typis tradatur hoc tam proficuum, ac dignum studium, annuente Eminentissimo. Die 12. Decembris 1698.

Aloys. Capyc. Galeota Canon. Card.& Cymiliarcha Metropol. Eccl.Neap.libr.Censor Ordinarius.

Attenta relatione Dom. Canonici Revisoris, quod potest imprimi, imprimatur. Die 16. *Decembr.*1698.

JO: A. SILIQUINVS VIC. GEN.

Can. *D.* J*anuarius de Auria Deput.*

ECCELLENTISS. SIGNORE.

IL Dott. D.Matteo Gennaro Sibilia supplicando fà intendere à V.E.come desidera dare alle stampe un suo Trattato intitolato *De Gradibus Cognationum*. Per il che supplica V. Ecc. à commettere la revisione di quello, e l'averà à gratia, ut Deus.

M. V. I. D. Ludovicus Paternò videat, & in scriptis referat.

SORIA R. GASCON R. ANDREASSI R.

*Spect. Reg.*Carrillo *non interfuit.*

Spect. Reg. Andreas impeditus. *Mastellonus.*

EXCELLENTISS. DOMINE.

ADmodum Rever. D. Matthæi Ianuarii Sibilia partem secundam, & tertiam Tractatus *De Gradibus Cognationum* Excellentiæ Tuæ sedulò perlegi; Testorque nihil in eo contineri, quod Regali jurisdictioni, aut bonis moribus adversetur; Quinimò elaboratum sanè opus, ingenii, ac doctrinæ præstantia conspicuum, & eruditissimo Authore dignum puto. Vt proindè typis tradi posse censeo, si ità Excellentiæ Vestræ videbitur. Neapoli die 15. mensis Decembris 1698.

Excell. Vestræ Humillimus Servus

Ludovicus Paternò.

Visa supra dicta relatione imprimatur, & in publicatione servetur Regia Pragmatica.

GASCON R. ANDREASSI R. GVERRERO R. MERCADO R.

Provisum per S. E. Neap. 18. Decembris 1698.

Spect.Reg.Andreas non interfuit. *Mastellonus.*

TRACTATUS
DE GRADIBUS COGNATIONUM.

AUTHORE

REVER. D. MATTHÆO-JANUARIO
SIBILIA, Neapolitano,
S. T. D., & V. I. Publico Interprete.

PARS SECUNDA.

HABUISTI amice Lector in prima hujus mei tractatus parte omnes ferè casus, in quibus tàm de iure Canonico, quàm de jure civili utilis, & necessaria est scientia Cognationum, & Graduum; undè sicut ex fertilissimo horto facilius flores decerpere licet, quam ex sterili, ità ex illa, faciliùs vales quæstiones omnes ad præsentem pertinentes materiam resolvere. Sed quia Cognationum explicationem pro hac secunda parte reservavi, ideò servando ordinem in prima parte promissum, absque verborum pompa, & sine linguæ ornatu tibi claram explicationem Cognationum hic trado, ut ità substantiale commodum, quod fortè in aliis Authoribus de hac re pertractantibus non ità facilè habes, hic invenias, non enim de illorum numero esse opto, de quibus *Petrus Loriotus* dicit: *Sunt plerique qui suis scriptis nihil aliud nobis adferunt, quam linguæ ornatum in his, quæ à Bartolo, & reliquis non satis comptè tradita erant;* Verùm omnia, quæ ab aliis, variis in locis sunt conscripta, hìc congesta habes, magna cum claritate; Quod si aliquando ab aliis recedendo, & contra communem Doctorum opinionem aliquid in isto tractatu dixi, id non ausu temerario feci, sed quia ut dicit idem *Loriotus in l. p.* verbo *Celsus ait. num. 7. ff. si certum petat. In iis quæ juris sunt, cum certa sint, et finita jura, non arbitror au-*

thoritatem aliquam considerandam esse, quia plerumque sub authoritate juris scientiæ perniciosè erratur. Undè Justinianus ait: *ex multitudine authorum meliùs, & æquiùs non esse judicandum, cum possit forsitan unius, & deterioris sententia, & multos, & majores superare l. p. §. sed neq; C. de vet. jur. enuc.* Unum tamen moneo, quod si aliquid boni in isto tractatu invenis, laudem Deo referas, à quo omne bonum provenit; si quid deficiens, & minus rectè dictum reperis, humanam agnosce infirmitatem, & dum me accuso, tu mei ingenii imbecillitatem excusa. Ut autem omnia feliciter eveniant, & meus labor inutilis non sit, Divinum invoco nomen, atque auxilium, & cum *Moyse Deut. 32.* cano: *Concrescat ut pluvia doctrina mea, fluat ut ros eloquium meum. Quasi imber super herbam, et quasi stillæ super gramina: quia nomen Domini invocabo.* Sit ergo.

CAPUT PRIMUM

De Cognatione in communi.

Cognatio generalissimè sumpta, Attinentiam, & Proximitatem quandam personarum significat, undè solet explicari nomine, *Vinculi, Necessitudinis, Parentelæ Instit. de Senatusconsult. Tertyll. in princip. ubi glos. verb. Necessitudinem, l. fin. ff. de Just. & jur. can. cum igitur. 35. q. p.* ibi: *Diversarum necessitudinum vinculis necterentur*, & ibi: *Pater quippe, & Socer duarum sunt necessitudinũ nomina Cic. lib. p. epist. 3. & lib. 13. epist. 5.* ibi: *Non molestè fero, eam necessitudinem, quæ mihi tecum est, notam esse quamplurimis.*

Hinc Cognationis nomen potest quatupliciter accipi: Primo Generalissimè: Secundo Generaliter: Tertio Specialiter: & Quarto Specialissimè. Generalissimè acceptum significat attinentiam, & proximitatem personarum ex quocumque capite provenientem, & in hoc sensu datur Cognatio Carnalis, Spiritualis, & Legalis. Generaliter sumptum tale nomen significat proximitatem personarum ex carnali propagatione sivè immediatè, sivè mediatè provenientem, & in hoc sensu Cognati dicuntur omnes parentes, omnes liberi, transversique omnes, *Theoph. Instit. de legit. agnat. success. in princip.* & ità naturalem cognationem significat *l. non facile. 4. ff. de grad. affi-*

nit.

nit. Specialiter sumptum tale nomen, significat proximitatem inter collaterales sivè ex masculis, sivè ex fœminis descendant, undè in tali sensu Cognati dicuntur omnes collaterales sivè ex masculis, sivè ex fœminis descendentes, *l. penult. ff. unde legit.* Specialissimè sumptum tale nomen significat proximitatem illam, quæ datur inter personas ratione fœminarum, & secundum istam acceptionem Cognati dicuntur, qui per fœmineum sexum nobis conjunguntur, idest ratione fœminarum nobis conjunctarum sunt dumtaxat nobis conjuncti, *l. 10. ff. de grad. affinit.*

Cognatio igitur generalissimè sumpta ità describi potest: *est quædam personarum attinentia, & vinculum ex Carnali, vel Spirituali, aut Legali unione proveniens*. Dicitur *Personarum attinentia, & vinculum*, ad denotandum, quod cognatio quia ex conjunctione, & unione provenit non consideratur, nisi inter plures personas, cum conjunctio, & unio pluralitatem importet, & Cognatio semper est unius cum alio conjunctio, & proximitas. Dicitur *ex Carnali, vel Spirituali, aut Legali unione proveniens*, ad ostendendum à quo jure, causa cognationis, quæ est *Unio personarum*, fuit introducta; nam non solum à naturali jure per carnalem unionem provenit Cognatio personarum, sed etiam à jure Canonico per communionem sanctam, & spiritualem, quæ ex Baptismo, & Confirmatione habetur; & tandem à jure civili, per unionem legalem, quæ mediante adoptione habetur, ut infra dicemus explicando singulas cognationis species.

Verùm quia cognatio spiritualis à Sacris Canonibus introducta, erat jure civili prorsùs incognita, ideò à Civilistis cognatio generalissimè accepta definitur: *Est jus quoddam inter certas personas consurgens, quæ vel natura, vel adoptione aut natura, & juris civilis approbatione, cognatæ, seù copulatæ sunt*, quam definitionem deducunt *ex l. 4. §. cognationis. ff. de grad. affinit.* ibi: *Cognationis substantiam bifariam apud Romanos intelligitur; nam quædam cognationes jure civili, quædam naturali continentur: nonnunquam utroque jure concurrente, & naturali, & civili copulatur cognatio*. Tu tamen primam cognationis descriptionem teneas, quia omnes cognationis species amplectitur.

CAPUT TERTIUM

De Cognatione Naturali, seu Carnali.

Cognatio naturalis, seu carnalis est quæ à commixtione carnis, seu sanguinis provenit, unde definitur: *est attinentia personarum ex eo proveniens, quod una descendit ab alia, vel ambæ ab eadem persona immediatè, vel mediatè, quamdiu tamen memoria retinetur.*

Dicitur *Attinentia* loco generis, quia non quælibet attinentia, & proximitas est cognatio carnalis, ut ex dictis in præcedentibus capitulis patet. Dicitur *Personarum* in numero plurali, quia ut dictum est in primo capitulo, cognatio inter plures datur. Dicitur *ex eo proveniens, quod una descendit ab alia* ad denotandum, quod cognatio naturalis in linea recta sine carnis propagatione haberi non potest, undè Adam non habuit cognationem cum Eva, licet ex illius costa fuerit edificata, quia carnis propagatio non habetur; cum Abel verò habuit naturalem cognationem, quia carnis propagatio in illo interfuit. Dicitur *vel ambæ ab eadem persona*, ut sub tali definitione comprehendatur cognatio naturalis, quæ datur in linea collaterali; inter collaterales enim datur naturalis cognatio, non quia unus descendit ab alio, sed quia ambo ab eadem persona descendunt Dicitur *vel immediatè, vel mediatè*, quia ad hoc ut habeatur naturalis cognatio inter collaterales non est necesse, quod illi semper immediatè descendant ab eadem persona, sed satis est si ab illa mediatè descendant, idest mediis eorum parentibus, undè Nepos, & Patruus naturali cognatione ligantur, non quia unus descendit ab alio, nec quia ab eodē immediatè descendunt, sed quia ab eodem communi stipite descendunt per intermedias personas. Dicitur *Quamdiù memoria retinetur*, quia licet omnes homines naturali jure sint cognatione conjuncti, quia ab eodem communi stipite mediatè descendunt, *l. 3. ff. de just. & jur.* tamen non omnes dicuntur cognati, sed solum illi, in quibus proximitas per sanguinē scitur, vel memoria retinetur, ut colligitur ex *can. in copulatione fidelium. 35. qu. 2. & 3.* ibi: *Nulli Christiano liceat de propria con-*

san-

ſanguinitate, ſeu cognatione uxorem accipere, uſque dum generatio recordatur, cognoſcitur, aut memoria retinetur. Et ex *Can. ad Sedem Apoſtolicam. circa fin. 35. qu.5.*

Nullatenùs tamen videtur admittenda definitio cognationis naturalis, quæ ab aliis traditur v3. *Eſt vinculum perſonarum ab eodem ſtipite deſcendentiũ, carnali propagatione contractum*: quia inter Adam, & Abel verè erat cognatio naturalis, & tamen à nullo communi ſtipite nec immediatè, nec mediatè deſcendebant; fuit enim inter ipſos naturalis cognatio, quia Adam ſuum ſanguinem communicavit Abeli. Eadem ratione excluditur definitio cognationis naturalis, quæ traditur ab *Oliver. Textor. in tit. de grad. cognat. in princip. num.*8. ubi dicit, *quod eſt attinentia perſonarum communi ex humano ſanguine proveniẽs, ſive per maſculinam lineam tantum, ſive fœmininam, ſive utranq; deſcendentium, aut collateralium mediatè, vel immediatè proceſſerit*; nam Adam, & Abel ex communi ſanguine non veniunt, & tamen inter ipſos dabatur naturalis cognatio.

Ex dictis infertur, quod inter Adam, & Evam non fuit naturalis cognatio, quia ut ſupra dictum eſt inter ipſos nec fuit ſanguis communis, nec communicatus, nam Eva ex Adæ coſta ſine humano sãguine, ſed miraculosè à Deo fuit facta; & quãquam ipſemet Adam dixit, *hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea*; tamen ex hoc non poteſt inferri cognatio, & proximitas carnalis, quæ prærequirit unionem duorum, ut efficiatur una caro, ex qua unione, ac unitate carnis fit Concreatio, ideſt Proles, quæ eadem propinquitate dicitur pertinere Patri, & Matri, cum iſti ſint una caro, ut dicit *tex. in can. Fraternitatis veſtræ. 35. qu.10.* Eva autem non fuit facta ex unione carnis, ideò nulla propinquitate erat pertinens Adæ. Nec obſtat, quod Eva dicitur ſimilis Adæ *Gen. 2. num.*18. *&* 20. quia talis ſimilitudo non fuit collata ei ex vi illius productionis, cum potuiſſet Deus ex Adami coſta ſicut Evã, ita & Leonem efficere, *Conimbric. lib. p. de gener. cap. 4. ar. 2. qu.10.*

QUÆRES I.

Quotuplex eſt cognatio Naturalis.

COgnatio iſta naturalis, quæ ex carnali propagatione con-

CAPUT SECUNDUM

De Speciebus Cognationis.

JUre civili attēto videtur, quod duę sint species Cognationis Naturalis una, Civilis altera, *l.4. §. cognationis substantiam bifariā apud Romanos intelligitur: nam quædam cognationes jure civili, quædam naturali continentur. ff. de grad. affinit.* Verùm quia citatus *text.* subdit: *Nonnunquam utroque jure concurrente, & naturali, & civili copulatur cognatio.* Ideò videtur, quod Jurisconsultus tertiam cognationis speciem addidit, & sic videtur se ipsum immediatè corrigere. Et quidem à quibusdam legistis tres species cognationis assignantur. Prima dicitur cognatio Naturalis per se, quæ ex communione sanguinis extra nuptias quæsita consurgit; sed quia talis cognatio à peccato descendit, ideò videtur non solum jure Canonico, sed etiam jure civili reprobanda. Secunda est cognatio Civilis per se, quæ etiam Legitima dicitur, & est commentitia sanguinis communio per adoptionem instituta. Et Tertia est cognatio conjuncta, seu mixta, quæ ex sanguinis cōmunione per justas nuptias quæsita consurgit; ità inferunt ex *d. l. 4. §. cognationis.* Alii dicūt, quod ex tali §. duæ tantùm species cognationis colligi possunt, quia cognatio illa mixta non facit speciem per se separatam cognationis. Melius tamen *Petrus Loriotus in d. §. cognationis*, dicit, quod Jurisconsultus voluit in tali §. dividere Agnationem, & Cognationem, sed priusquam id faceret, voluit declarare, à quo jure proveniant, & tradit, cognationem à solo naturali jure, Agnationem verò nunc à solo civili, nunc à civili simul, & naturali emanare, ut ex verbis *text.* clare colligitur.

Quicquid tamen sit de veritate istarum explicationum, mihi tamen videtur, quod Jurisconsultus non adequatè explicavit species cognationis, quia dum dicit, quod *naturalis cognatio per se sine civili cognatione intelligitur, quæ per fęminas descendit, quæ vulgo liberos pariunt*, si aliquis ex diversis fęminis liberos haberet, peto, dicerentur ne illi Cognati, & qua cognatione essent cognati? quod sint cognati, nulla difficultas est, cum ab

eodem orti, & progeniti sint, non tamen posset dici, quod naturali jure sunt cognati, quia isti per fęminas non descendunt; nec posset dici, quod sunt cognati civili jure, quia talis cognatio per adoptionem fit, quæ in nostro casu non adest: nec utroque jure dici possunt cognati, quia justæ nuptiæ non adsunt; ergò vel illi non essent cognati, vel diminutè fuit locutus Jurisconsultus. Præterea dum dicit, quod cognatio civilis per se, seu legitima fit per solam adoptionem, nullomodo salvari potest, quod justis nuptiis contractis utroque jure consistat cognatio, cum in matrimonio adoptio non habeatur; debebat enim dicere, quod cognatio civilis est quæ à lege tantū dependet, & hęc dupliciter haberi potest, vel per se, & sine naturali cognatione, & ista habetur per solā adoptionem; vel habetur simul cum cognatione naturali, & ista habetur ex nuptiis, non quia in nuptiis intervenit adoptio, sed quia justæ, & legitimæ nuptiæ, sunt quæ per leges probantur *Instit. de nuptiis*; & ità filii, qui ex justis nuptiis procreantur non solum dicuntur naturalitèr uniti, sed etiam civilitèr, & secundum leges, & consequentèr sunt naturalitèr, & civilitèr cognati.

Dicendum tamen est cum Canonistis, quod tres sunt species cognationis. Prima est species cognationis Carnalis, seu Naturalis. Secunda est species cognationis Legalis. Et Tertia est species cognationis Spiritualis. De cognatione carnali, seu naturali tractatur à Canonistis in *tit. de Decretal. de consang. & affinit.* à Legistis verò in *tit. DD. de gradib. affinit.* De cognatione legali tractatur à Canonistis in *tit. Decretal. de cognat. legali*, & à Legistis in *tit. DD. & Cod. de adopt.* sicut etiam in *l. 4. §. cognationis substantiam. ff. de grad. affinit.* ubi *Petrus Loriotus* dicit, quod talis cognatio jure Pontificio *Legalis* dicitur, jure verò civili, *Civilis*, seu *Legitima* appellatur. De cognatione tandem spirituali solum à Canonistis pertractatur, quia talis cognatio tantùm per Sacros Canones fuit introducta, & cognita. Sequendo igitur istam divisionem Canonistarum, de singulis istis cognationibus agemus. Undè fit.

CA-

CAPUT TERTIUM

De Cognatione Naturali, seu Carnali.

COgnatio naturalis, seu carnalis est quæ à commixtione carnis, seu sanguinis provenit, unde definitur: *est attinentia personarum ex eo proveniens, quod una descendit ab alia, vel ambæ ab eadem persona immediatè, vel mediatè, quamdiu tamen memoria retinetur.*

Dicitur *Attinentia* loco generis, quia non quælibet attinentia, & proximitas est cognatio carnalis, ut ex dictis in præcedentibus capitulis patet. Dicitur *Personarum* in numero plurali, quia ut dictum est in primo capitulo, cognatio inter plures datur. Dicitur *ex eo proveniens, quod una descendit ab alia* ad denotandum, quod cognatio naturalis in linea recta sine carnis propagatione haberi non potest, undè Adam non habuit cognationem cum Eva, licet ex illius costa fuerit edificata, quia carnis propagatio non habetur; cum Abel verò habuit naturalem cognationem, quia carnis propagatio in illo interfuit. Dicitur *vel ambæ ab eadem persona*, ut sub tali definitione comprehendatur cognatio naturalis, quæ datur in linea collaterali; inter collaterales enim datur naturalis cognatio, non quia unus descendit ab alio, sed quia ambo ab eadem persona descendunt Dicitur *vel immediatè, vel mediatè*, quia ad hoc ut habeatur naturalis cognatio inter collaterales non est necesse, quod illi semper immediatè descendant ab eadem persona, sed satis est si ab illa mediatè descendant, idest mediis eorum parentibus, undè Nepos, & Patruus naturali cognatione ligantur, non quia unus descendit ab alio, nec quia ab eodẽ immediatè descendunt, sed quia ab eodem communi stipite descendunt per intermedias personas. Dicitur *Quamdiù memoria retinetur*, quia licet omnes homines naturali jure sint cognatione conjuncti, quia ab eodem communi stipite mediatè descendunt, *l. 3. ff. de just. & jur.* tamen non omnes dicuntur cognati, sed solum illi, in quibus proximitas per sanguinẽ scitur, vel memoria retinetur, ut colligitur ex *can. in copulatione fidelium. 35. qu. 2. & 3.* ibi: *Nulli Christiano liceat de propria consan-*

sanguinitate, seu cognatione uxorem accipere, usque dum generatio recordatur, cognoscitur, aut memoria retinetur. Et ex *Can. ad Sedem Apostolicam. circa fin.* 35. *qu.*5.

Nullatenùs tamen videtur admittenda definitio cognationis naturalis, quæ ab aliis traditur v3. *Est vinculum personarum ab eodem stipite descendentiũ, carnali propagatione contractum*: quia inter Adam, & Abel verè erat cognatio naturalis, & tamen à nullo communi stipite nec immediatè, nec mediatè descendebant; fuit enim inter ipsos naturalis cognatio, quia Adam suum sanguinem communicavit Abeli. Eadem ratione excluditur definitio cognationis naturalis, quæ traditur ab *Oliver. Textor. in tit. de grad. cognat. in princip. num.*8. ubi dicit, *quod est attinentia personarum communi ex humano sanguine provenięs, sive per masculinam lineam tantum, sive fœmininam, sive utranq; descendentium, aut collateralium mediatè, vel immediatè processerit*; nam Adam, & Abel ex communi sanguine non veniunt, & tamen inter ipsos dabatur naturalis cognatio.

Ex dictis infertur, quod inter Adam, & Evam non fuit naturalis cognatio, quia ut supra dictum est inter ipsos nec fuit sanguis communis, nec communicatus, nam Eva ex Adæ costa sine humano sãguine, sed miraculosè à Deo fuit facta; & quãquam ipsemet Adam dixit, *hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea*; tamen ex hoc non potest inferri cognatio, & proximitas carnalis, quæ prærequirit unionem duorum, ut efficiatur una caro, ex qua unione, ac unitate carnis fit Concreatio, idest Proles, quæ eadem propinquitate dicitur pertinere Patri, & Matri, cum isti sint una caro, ut dicit *tex. in can. Fraternitatis vestræ.* 35. *qu.*10. Eva autem non fuit facta ex unione carnis, ideò nulla propinquitate erat pertinens Adæ. Nec obstat, quod Eva dicitur similis Adæ *Gen.* 2. *num.*18. *&* 20. quia talis similitudo non fuit collata ei ex vi illius productionis, cum potuisset Deus ex Adami costa sicut Evã, ita & Leonem efficere, *Conimbric. lib. p. de gener. cap.* 4. *ar.* 2. *qu.*10.

QUÆRES I.

Quotuplex est cognatio Naturalis.

Cognatio ista naturalis, quæ ex carnali propagatione con-

consurgit juxtà communem DD. opinionem dividitur in cognationẽ Licitam, & Illicitam. Illicita est attinentia, seu proximitas personarum ex illicita, prohibita, & peccaminosa propagationem consurgens, ut est cognatio extra matrimonium quæsita, & hæc absolutè cognatio Naturalis, & Carnalis appellatur, non quia alia cognatio Licita naturalis, & carnalis non est, sed quia cognatio illicita in sola natura fundatur, & nullo juris auxilio validatur. Cognatio licita est proximitas, seu attinentia personarum ex carnali licita propagatione consurgens, ut est cognatio ex matrimoniali copula consurgens, & talis cognatio dicitur mixta ex naturali, & civili, *l.* 4. §. *cognationis. ff. de grad. affinit.* inquantum, sicut civilis approbatur, & substantiatur à jure, ita, & ista.

Nos tamen dicimus, quod cognatio naturalis triplex est, scilicet Justa, Injusta, & Prohibita. Justa est, quæ ex justis, ac legitimis: nuptiis contrahitur, *l.*4.§. *cognationis. ff. de grad. affinit.* ibi: *utroque jure consistit cognatio, cum justis nuptiis cõtractis copulatur*. Injusta cognatio est, quæ ex meretricio, vel concubinatu nascitur, *d.l.*4.§.*cognationis.* ibi: *Et quidem naturalis cognatio per se sine civili cognatione intelligitur, quæ per fœminas descendit, quæ vulgo liberos pariunt.* Prohibita cognatio naturalis est illa, quæ ex incestu, vel ex alia prohibita copula oritur *Petrus Loriotus in d. l.* 4. §. *cognationis. & in tract. de gradib. affinit. axiom.*57.*& seqq.* ac de Consanguinitate *axiom.*2. ubi dicit, *quod hæc cognatio naturalis, aut prohibetur, ut Incestus, Adulterium, aut non prohibetur, sed est injusta, ut concubinatus, meretricium, aut est justa, ut Matrimonium*; & de tali cognatione prohibita lex civilis nullã rationẽ habet; qua ratione in *d.l.* 4. §.*sciendũ*.legitur: *Sciendum est, neque cognationem, neque affinitatem esse posse, nisi nuptiæ interdictæ non sint*; non enim intelligitur, quod quando nuptię sunt interdictæ non habetur cognatio, & affinitas, sed solum, quod talis cognatio in consideratione non est apud Legistas cum sit prohibita.

Cognatio ista naturalis prohibita infamiã parit *can. consanguineorum.*3. *qu.* 4. honores denegat, successionem impedit, sicut etiam alimenta, saltem de jure civili: matrimonium tamen impedit, sicut & cognatio naturalis justa. Cognatio naturalis injusta matrimonium impedit, non importat agnationem, nec patriam potestatem, admittuntur tamen taliter cognati

ad

ad successionem, prout in prima parte dictum est tractando de successione filiorum naturalium, & spuriorum, *Petr. Loriot. in d. tract. de consang. axiom. 3.* Cognatio naturalis justa importat commodum successionis, ex illa patria potestas provenit, cum illius effectibus, & matrimonium impedit, prout in prima parte hujus tractatus actum est, ubi in fine numerantur penè omnes effectus cognationis naturalis.

Rursùs cognatio naturalis alia est Parentum, quæ superior dicitur; alia liberorum, quæ inferior appellatur, & alia Transversalium, scilicet Fratrum, & Sororum, liberorumq; eorum *l. p. ff. de grad. affinit.* & isti transversales vel dicuntur Agnati, vel Cognati, pro cujus intelligentia.

QUÆRES II.

Quando naturalitèr conjuncti dicuntur Agnati, & quando Cognati?

COgnatio carnalis, sive naturalis nomen est generis, cujus duæ sunt species, quarum una dicitur Agnatio, altera Cognatio, *l. 10. §. nomen cognationis. ff. de grad. affinit.* Et licet hodie per novissimum jus authenticorum sit sublata differentia, quæ erat inter agnatos, & cognatos, *Auth. de hæred. ab intest. §. nullam.* tamen, ut dicit *Petrus Loriot. in l. 4. ff. de grad. affinit.* deservit talis cognitio, quia in casibus veterum legum specialem rationem agnationis habentibus, non est hodie sublata differentia, nam lex nova generalitèr loquens, in specialibus antiquis casibus locum sibi non vendicat, maximè si pœnales sint, ut in his qui incestas nuptias contrahunt &c. Similitèr deservit, ut cognoscatur cum quibus arrogatus contrahit cognationem, & ut multa antiqua jura intelligantur, ideò hic inutile non erit explicare differentiam, quæ est inter agnationem, & cognationem.

Agnatio igitur est proximitas, quæ per mares contingit, veluti inter duorum fratrum filios; vel ut dicit *Cujac. lib. 38. DD. tit. 10.* Agnatio est necessitudo, quæ nobis est cum eis, qui sunt ex eadem familia. Cognatio verò est necessitudo, quæ nobis est cum eis, qui sunt ex eodem sanguine, vel perinde ut sanguine, quia per adoptionem acquiritur cognatio, quæ ex fictione juris perinde ex sanguine esse censetur. Verùm hæc descriptio cognationis à *Cujac.* tradita verificatur tantum de consangui-

neis, qui ab eodem sanguine descendunt, & Agnati dicuntur, *l. 1. §. post suos. ff. de suis, et legit. hæred.* non verò verificatur de cognatione specialissimè sumpta, prout cōtradistinguitur ab agnatione; siquidem Cognati cognatione genericè sumpta dicuntur illi, qui quasi ex uno sunt nati, & quasi commune nascendi initium habent, *l. 1. ff. unde cognati.* Et hoc verificatur tàm de agnatis, quàm de cognatis, *l. 10. §. nomen cognationis. ff. de grad. affinit.* ideò dicimus, quòd Cognatio specialissimè sumpta est quæ per fœminas habetur, ut est cognatio, quæ datur inter Fratris, & Sororis liberos, undè omnes Agnati sunt etiam Cognati, sed non è contra, *d. l. jurisconsultus. 10. §. nomen cognationis. ff. de grad. affinit.* ibi: *Inter agnatos igitur, & cognatos hoc interest, quod inter genus, & speciem: nam qui est agnatus, & cognatus est; non utique autem qui cognatus est, & agnatus est, l. inter agnatos. ff. unde legitimi;* & ideò in *l. 4. §. cognationis. ff. de grad. affinit.* dicitur, quod naturalis cognatio per se, quia per fœminas descendit, tantum nomine Cognationis exprimitur; cognatio verò civilis, licet possit cognatio absolutè dici, tamen propriè Agnatio vocatur, quia per mares contingit. Agnati autem non solum dantur in linea recta, ut sunt omnes ascendentes per lineam masculinam, sed etiam dantur in linea transversali, *Petrus Loriot. de grad. affinit. axiom. 50. & 87.*

Hinc Agnati dicuntur illi Cognati, qui per virilis sexus personas conjuncti sunt, quasi à Patre connati, & patris sequuntur familiam, *Instit. de legit. agnat. success. § p. Instit. de legit. agnat. tutel. §. sunt autem agnati. l. 2. §. agnati. ff de suis, & legit. hæredib.* qua ratione frater ex eodem patre natus, filius fratris, & nepos ex eo, item patruus, & patrui filius, nepos ve ex eo sunt tibi agnati, *d. §. sunt autem agnati, l. sunt autem. 7. ff. de legit. tutor.* Isti agnati dicūtur etiā cognati, quia cognatio est veluti genus, & cōprehendit omnes descendentes ab eodem sanguine, sive per masculos, sive per fœminas, *l. p. ff. unde cognat.* ideòque ubi datur Agnatio, datur etiam Cognatio, sed nō è contra, *l. inter agnatos. 5. ff. unde legitim.* & sic patris frater, idest Patruus, est Agnatus, & Cognatus; Matris verò Frater, idest Avunculus Cognatus est, sed non Agnatus, *d. l. 5. ff. unde legit. l. 10. §. nomen agnationis. ff. de gradib. affinit.*

Omnes Agnati vel sunt cōsanguin-

gui,

guinei, vel non, *l. 2. ff. de suis, & legit hæred.* si ab eodem Patre immediatè descendunt, dicuntur inter se agnati, & consanguinei, nec requiritur, quod eandem matrem habeant, *l. 3. C. de legit. tutor. l. 1. 2. 6. & 14. C. de legit. hæred. Inst. de legit. agnat. succ. ceſs. §. 1.* & ità dicuntur Fratres, & Sorores consanguinei, *Inst. de Senatusconsult. Tertyll. §. sed & filiæ suæ.* nam sanguine inter se connexi sunt, *l. 1. §. post suos. ff. de suis, & legit. hæred.* sicut etiam Posthumi jura agnationis, & cōsanguinitatis nanciscuntur cum aliis fratribus, qui ab eodem Patre procreati sunt. *Instit. de legit. agnat. succeſs. § ij etiam. l. nati post mortem. 6. ff. unde legitimi, d. l. 1. §. post suos;* solum ille qui concipitur post mortem alicujus, licet de jure Canonico dicatur illius agnatus, vel cognatus, non tamen ita appellatur de jure Civili, quia qui post mortē nostrā concipitur nulla cognatione nos attingit, *l. 1. §. si quis proximior. ff. unde cognat. l. Titius. 6. & l. 7. ff de suis, & legit. hæred. Instit. de hæred. quæ ab inteſt. deferuntur §. cum autem.* ubi *Soacius num. 3.* dicit: *Licet qui post mortem alicujus conceptus est, mortui illius dicatur cognatus esse, id non fit propriè, sed abusivè, nec est illa locutio Jurisconsultorum sed vulgi.* Quando verò agnati ab eodem sanguine immediatè non descēdunt, tunc propriè consanguinei non dicuntur, sed tantum Agnati appellantur, undè Patruus respectu filii sui fratris nō dicitur consanguineus, sed agnatus, agnatione generaliter sumpta, nam per collaterales talis agnatio conservatur, *Surd. vol. 3. consil. 443. num. 45.* similitèr fratres patrueles, qui ex duobus fratribus procreati sunt, & consobrini vocantur, agnati tantum dicuntur, *Instit. de legit. agnat. succeſs. §. 1.* non verò consanguinei; quamvis etiam cognati dicantur, quia agnatio sine cognatione subsistere non potest, *l. 10. §. inter agnatos. ff. de grad. affinit.*

Quia agnatio est proximitas, quæ per mares contingit, ideò non solum illi, qui carnalitèr conjuncti sunt per lineam masculinam agnati dicuntur, sed etiam illi, qui legalitèr tantùm conjuncti sunt, quales sunt adoptati, quia talis legalis conjunctio per mares tantum habetur, cum vir tantum adoptare possit, & non mulier, *Instit. de adopt. §. fœminæ quoq.* & ideò inter adoptatum, & filios naturales adoptantis (quando isti sunt sub potestate) datur jus agnationis, licet propriè loquendo adoptatus non sit illorum agnatus, sicut nec

consanguineus, *Instit. de legit. agnat. success.* §. *per adoptionem*, quia non sanguinis, sed agnationis jus affertur per adoptionem, *l. qui in adoptionem.* 23. *ff. de adopt.* & quamvis in *l.* 4. §. *cognationis. ff. de grad. affinit.* dicatur: *Civilis autem*, (intellige, Cognatio) *licet ipsa quoque per se plenissimè hoc nomine vocetur, propriè tamen agnatio vocatur, videlicet, quæ per mares contingit.* tamen tex. non dicit, quod adoptatus propriè est agnatus, sed solùm, quod talis cognatio civilis licet possit cognatio appellari, propriè tamen agnatio vocatur, quia per mares contingit; nam propriè agnatus dicitur ille, qui naturali, & civili jure copulatur.

Per arrogationem igitur adoptatus agnascitur filiis legitimis, & naturalibus adoptantis, quos in sua potestate habet, non verò agnascitur uxori, & matri adoptantis, *l. qui in adoptionem.* 23. *ff. de adopt. l.* 1. §. *cognationem facit. ff. unde cognat. l.* 1. §. *fin. & l.* 2. §. *parvi autem. ff. de suis, & legit. hered.* quia agnascitur illis, quibus arrogator agnatus est, *d. l. qui in adoptionem.* 23. Undè adoptantis naturales cognati, non semper adoptato conjunguntur, sed solùm quando sunt cognati, & agnati, itaut contemplatione agnationis, & non contemplatione cognationis fiat talis conjunctio, ut patet in filio familias, qui est simul agnatus, & cognatus, & tamē ratione agnationis conjungitur adoptato, nam si emancipetur, quamvis remaneat cognatus, quia tamen agnatus esse desinit, *l.* 4. §. *in adoptionem datus. & l.* 5. *ff. de grad. affinit.* adoptato ampliùs conjunctus non fingitur, undè lex consuluit illi, qui generum adoptare cupit, ut filiam emancipet.

Non solùm adoptatus agnascitur filiis legitimis, & naturalibus adoptantis, ut dictum est, sed etiam fit illorum Cognatus, nam qui est agnatus est etiam cognatus, sed nō è contra, *l.* 10. §. *inter agnatos. ff. de grad. affinit.* cujus ratio est, quia cognatio est substantia proximitatis, agnatio verò est tantum qualitas de jure civili introducta, qualitas autem ista sine cognatione subsistere non potest, & ideò adoptatus fit cognatus cum patre adoptante, & cum illis, quibus agnascitur, *l.* 4. §. *cognationis. &* §. *in adoptionem. ff. de grad. affinit.* & ità adoptatus tàm in familia naturali, quàm in adoptiva cognatos habet, diverso tamen jure, nam ibi habet cognatos naturales, seu mixtos, hic habet cognatos civiles; agnatos verò antiquæ familiæ non retinet, quia est civile

no-

nomen, quod facile perditur, *Instit. de legit. agnat. tutel.* §. *sed agnationis. Petrus Loriot. de grad. affinit. axiom. 78.* nunquam tamen per adoptionem fieri potest Avunculus, vel Matertera, *l. si qua. ff. de ritu nupt.* quia isti sunt tantum cognati, & per adoptionem tantum cognatus fieri non valet.

Dices: adoptio est actus civilis, ergò per ipsam non potest contrahi cognatio, quæ est naturale nomen, *l. 10.* §. *nomen. ff. de grad. affinit.* ibi: *alterum enim civile, alterum naturale nomen est.*

Respondetur, quod per adoptionem non contrahitur cognatio naturalis, sed solum contrahitur cognatio civilis; Ratio est, quia cognatio est substantiæ nomen, sine qua proximitas esse non potest, *l. penult. ff. unde legit.* Agnatio verò est qualitas, quæ licet possit esse sine consanguinitate, non tamen potest esse sine cognatione, quia nulla proximitas, neque naturalis, neque civilis sine cognatione subsistere potest; Cum igitur civilis cognatio, quæ adoptione fit, non nisi ratione patriæ potestatis consistere dicatur, *l. in omni. ff. de adop.* ideò solum inter agnatos contrahi potest, quoniam illi solũ in potestate existunt, *Instit. de legit. agnat. tutel.* §. *atqui in fin.* & ita illi, qui in naturali familia adoptantis agnati sunt, contrahunt cognationem civilem cum adoptato, illi verò, qui in naturali familia adoptantis cognati tantum sunt, nullam cognationem contrahunt cum adoptato, neque dicuntur illius agnati, neque cognati. Sed de ista cognatione civili dicemus infra in *cap 6.*

Quantum ad secundam partem quæsiti, ultra superius dicta, denuo dicimus, quod Cognati dicuntur illi qui per fœminas nobis conjuncti sunt, unde filij tuæ sororis, vel tuæ amitæ sunt tibi Cognati, non agnati, quia tibi conjunguntur per fœminam, scilicet per sororem, vel amitam *l. 10.* §. *cognationis origo, & per fœminas solas contingit: frater enim est, & qui ex eadem matre tantum natus est. Nam qui eundem patrem habent, licet diversas matres, etiam agnati sunt. ff. de grad. affinitat.*; similiter spurij quia ex incerto patre sunt, agnatos non habent, sed tantum cognatos, cum agnatio à patre, cognatio à matre fit, & ideò nec jura agnationis, nec consanguinitatis habent, cum consanguinitas species sit agnationis, *Insti. de success. cognat.* §. *vulgo quæsitos. l. 2. & l. si spurius. 4. ff. unde cognat.* & ideò *in l. 4.* §. *cognatio-*

nis

nis substantia, ff. de grad. affinit. dicitur: *Et quidē naturalis cognatio per se sine civili cognatione intelligitur; quæ per fœminas descendit, quæ vulgo liberos pariunt.* Non solum autem descendentes per fœminas, quæ vulgo liberos pariunt, cognati dicuntur, sed etiā descendentes per fœminas ex justis nuptijs, *l. 10. §. cognationis origo. ff. de grad. affinit.*

Nec dicas, quod Cognati ab eo dicuntur, quasi una, communiterve nati, vel ab eodem orti, aut progeniti *l. 4. §. cognati ab eo dici putantur, quod quasi una, communiterve nati, vel ab eodem orti, progenitive sint. ff. de grad. affinit.* ergò sive à patre, sive à matre procedant, semper cognati dicuntur, ergò falsum est quod solum illi qui per fœminas nobis conjunguntur, cognati dicuntur.

Non inquam dicas, quia nos in præsenti loquimur de Cognatis in sensu specialissimo, non verò in sensu generalissimo, vel generali; siquidem ut dicit *Petrus Loriot. in l. 10. §. inter agnatos. ff. de grad. affinit.* generalissimè loquendo cognati dicuntur omnes parentes, omnes liberi, transversi omnes; generaliter verò loquendo, cognati dicuntur omnes transversi, sive ex masculis, sive ex fœminis descendant, *l. penult. D. unde legit.* specialissimè verò Cognati dicuntur illi, qui per fœmineum sexum nobis conjunguntur, idest ratione fœminarum nobis conjunctarum, sunt dumtaxat nobis conjuncti, qui etiam Proximi dicuntur, nam cognati solum proximitatis causa vocantur ad bonorum possessionem, agnati verò, potiùs ratione agnationis, quam proximitatis admitti solent, *Dec. in l. si bonorum. C. qui admitti.*

Hinc agnatio non conservatur per descendentes ex fęminis, sed in fęminis finitur agnatio, *Surd. vol. 2. consil. 443. num. 23. Alexan. lib. 2. consil. 97. num. 2. & lib. 6. consil. 197. num. 10. ac consil. 5. nu. 9.* & ità descendentes ex filia nō dicuntur conservare agnationem, *Surdus vol. 3. consil. 316. nu. 8. & consil. 443. num. 17. 21. & 23. Alex. vol. 2. consil. 97. nu. 2. & vol. 6. consil. 197. num. 10.* quæ agnatio etiam nomine familiæ significatur, *Surd. d. consil. 316. nu. 10. & consil. 442. num. 18. Alex. vol. 6. consil. 55. nu. 4. ex l. pronunciatio. & l. familiæ. ff. de verbor. signif.* qua ratione, qui acquirit familiam, dicitur acquirere jura agnationis, qui verò familiam amittit, etiam jura agnationis amittit, *l. 4. §. in adoptionem datus. & l. 5. ff. de grad. affinit.* undè agnationem suam cēsetur testatore

torem voluisse conservare quādo præcepit instituto, ut acciperet nomen familiæ, *Surd. vol. 3. consil. 375. num. 19.* Et licet descendentes ex fęminis sint per Justiniani constitutionem translati in jus agnationis, & tanquā agnati admittantur ad successionem, & tutelam, si in primo gradu sint à dictis fęminis, à quibus descendunt, *Instit. de legit. agnat. success. §. hoc etiam, l. 24. §. hujusmodi itaque leges. cum seqq. & l. meminimus. 25. §. in qua constitutione, unum gradum ex cognatis in jus legitimum reduximus, idest germanæ consanguineæ filios, & filias, & sororis uterinæ filios, ac filias, § nec fratrem. & §. penult. C. de legit. hæred.* & nomine legitimorum non solum veniant agnati, sed etiam illi, qui in locum agnatorum connumerātur, ut in *tit. Instit. de success. cognat. & in d. l. meminimus. 25. §. sed nec fratrem. & §. quas autem personas.* Tamen isti cognati translati in jus agnationis non dicuntur propriè agnati, *Alex. vol. 6. consil. 55.*

Possunt tamen descendentes ex fęmina retinere jura agnationis, & propriè agnati appellari, quando quis acciperet filiam sui fratris, quia tunc ab illa descendentes retinerent agnationem ratione paterni sanguinis.

Sorores verò inter se vel dicuntur agnatæ, vel cognatæ: si ab eodem patre descendunt, dicuntur agnatæ: si ab eadem tantum matre, dicuntur cognatæ, & quādo sunt agnatæ, dicuntur habere legitima jura; quando verò sunt cognatæ, dicuntur tantum habere jura cognationis, *Inst. de Senatusconsult. Tertyll. §. sed cum antea. ubi gloss.* undè fęminæ possunt vel consanguineos, vel agnatos habere; *l. si repudiaverint. 2. ff. unde legit.*

Ex dictis infertur, quod omnes illi cognati, qui tui patris familiam sequuntur, sunt tibi agnati, qui tui patris familiam non sequuntur, absolutè cognati dicuntur, *Instit. de legit. agnat. tutel. §. sunt autem agnati. in fine*; undè si aliquis nascatur post mortem patris, vel post captivitatem, vel deportationem, non dicitur agnatus, *gloss. in l. fin. ff. unde legit.* quia in agnatione consideratur & familia, & patria potestas, ut patet ex *l. 1. §. cognationem facit. ff. unde cognat.* Sed hoc intelligitur in agnatione propriè dicta, quia agnatio generalitèr sumpta, etiam per collaterales conservatur, *Surd. vol. 3. consil. 443. n. 45.* sive isti sint sub eadem potestate, sive non, *Petrus Loriot. de grad. affinit. axio. 87.* Amita verò est tibi agnata, quia

quia per patrem tuum tibi conjungitur, ut dicit *gloss. in d. §. sunt autem agnati. verbo Amitæ*, & licet in *l. sunt autem. 7. ff. de legit. tutor. & in §. sunt autem agnati. Inst. de legit. agnat. tutel.* tantum enumerentur masculi descendentes ex masculis, tamen nihil impedit quin fœmina sit agnata, dũmodò per virilis sexus personas conjuncta sit, *l. agnato. 10. ff. de legit. tutor.* filius verò respectu suæ matris cognatus dicitur, non agnatus, *l. 4. ff. unde cognat.*

QVÆRES III.

An ista attinentia, & conjunctio carnalis possit per legem Civilem tolli?

Attinentia ista, alligatio, & conjunctio personarum per carnalem propagationem consurgens, quæ Cognatio, vel Cõsanguinitas dicitur, nullo jure, nullo pacto tolli potest, *l. jura sanguinis. 8. ff. de regul. jur.* Licet enim per mediam, & maximam capitis diminutionem tollatur jus cognationis, scilicet jus illud, quod à lege civili, vel à Prætore est Cognationi tributũ, ut est jus succedendi, jus ad tutelam, ad bonorum possessionem per unde cognati *l. legitimis. 5. D. unde cognat.*, sicut per omnem capitis diminutionẽ tollitur jus à lege civili tributũ Agnationi, tamen ipsa Cognatio, idest ipsa sanguinis conjunctio non tollitur *Inst. de legit. agnat. tutel. §. sed agnationis. Inst. de capit. dim. §. quod autem dictum est. ubi glos. Bald. in l. 1. §. jus naturale. in fin. D. de just. & jur.* & ideò ista naturalis conjunctio sanguinis etiã inter servos datur, licet illi non habeant jura cognationi tributa *Bart. in l. hos accusare. §. omnibus autem. n. 7. D. de accusat. & inscript. Institut. de servil. cognat. Oliver. Text. in tract. de grad. cognat. in princip. n. 9.*

Ratio hujus est quia naturalia immutabilia sunt *Institut. de jur. nat. gent. & civil. §. penult. l. eas obligationes* 8. *D. de capit. dim. Instit. de legit. agnat. tutel. §. ult. & de hæredit. quæ ab intest. defer. §. minus ergo juris*. Et ideò servi quoad jus naturale non habẽtur mortui, sicut habẽtur, quoad jus civile *l. quod attinet. 33. D. de regul. juris.*

Quando autem dicitur quod jura sanguinis nullo jure dirimi possunt, non intelligitur de illis juribus, quæ à lege civili, vel jure Prætorio sunt tributa sanguini, ut dictum est; sed intelligitur de illis juribus, quæ à natura proveniunt, ut colligitur *ex Dec. in l.*

jure

jura sanguinis. num. 3. *& seqq. D. de regul. jur.* & sic jura generaliter prohibentia communionem cum excommunicato, non comprehendunt conjunctos ipsi excommunicato: similiter lex puniens receptantem bannitum, non habet locum in receptante bannitum affinem, vel conjunctũ *Hip. de Marsil. singul.* 210. *Coras. de jure civil. in artem redig. par.* 2. *cap.* 21. de quibus vide, quæ diximus *in par.* 1. *bujus tract. c.* 1. §. 5.

Ex dictis colligitur, quod adoptio, quia est introducta de jure civili, ideò si filius familias à patre naturali in adoptionem detur, non dissolvuntur jura patris naturalis, nec quicquam ad patrem adoptivum transit, nec sub ejus potestate ponitur, nisi sit ascendens *Instit. de adopt.* §. *sed hodie. & Instit. de hæredit. quæ ab intest. defer.* §. *minus ergo juris.* Similiter non potest lex, vel statutum disponere, quod pater nõ teneatur alere filium majorem annis decem, & octo; quia educatio liberorum est de jure naturali, quod non potest à jure civili tolli, vel prohiberi, licet posset à filio tollere actionem petendi alimenta, quia actio est introducta à jure civili, vel Prętorio *Surd. de alim. tit.* 1. *qu.* 1. *num.* 5. ubi etiam dicit, quod licet statutum possit minuere legitimam, non tamen potest illam ita extenuare, ne filius alimenta consequatur, quorum loco legitima subrogata videtur. Undè licèt Princeps legibus sit solutus, *l. princeps.* 31. *ff. de legib.* & quod Principi placet legis vigorẽ habet, *Instit. de jur nat. gẽt. & civil.* §. *sed & quod principi. l.* 1. *ff. de cõstit. princ.* itaut dicatur Princeps lex animata. *Auth. de consulib.* §. *ult.* tamen si Princeps mandaret, ne pater teneatur alere filium, ejus placitum non valeret, quia quando Principi placet, quod Deo nõ placet, ejus placitum vim legis non habet, *Bald. in l.* 1. *num.* 5. *ff. de constit. princip.* nec Princeps est tam legibus solutus, ut nõ sit legibus positivis alligatus, *l. digna vox.* 4. *C. de leg. can. justũ est. dist.* 9. Quod si contendas Principem omninò esse solutum legibus positivis, saltẽ non erit solutus naturali dictamine rationis, est enim naturale animal, & natura ipsa ligatur, ideo legem naturalem tollere non potest.

Dices: in multis casibus lex naturalis videtur sublata per legem civilem, vel gentium, ergo falsum est quod naturalia sunt immutabilia. Probatur ãtecedẽs primo ex *l. lex naturæ.* 24. *ff. de stat. hom.* ubi habetur: *Lex naturæ est ut qui nascitur sine legitimo matrimonio matrem sequatur, nisi lex spe-*

specialis aliud inducat. Secundo ex *l. manumissiones. 4. D. de just. & jur. & Instit. de jur. nat. gent. & civil.* §. *jus autem gentium*: nam jure naturali omnes homines liberi nascũtur, & tamẽ jus gentiũ servitutes introduxit contra jus naturæ. Tertio ex *l. nam hoc natura. D. de condict. indebit. & l. jure naturæ. ff. de regul. jur.* ubi jure naturæ nemo debet locupletari cum aliena jactura, & tamen per usucapionem, quæ jure civili introducta est, quis locupletatur cum aliena jactura. Quarto lege naturali, & Divina prohibetur occisio hominis *Exod. 20. Deut. 5. l. ut vim. ff. de just. & jur.* & tamen jure civili permittitur occisio patris per filium, vel è contra, immo præmio afficitur quando ille veniret ad patriam delendam *l. minime. 35. D. de relig. & sumpt. funer.*

Ad hoc argumentum, quod tangit difficultatem illam, an lex naturalis possit in aliquo casu particulari mutari, multipliciter responderi potest. Primo respondetur ex *Corasio in tract. de juris arte par. 2. cap. 17.* quod Populus ex causa potest statuere super omnibus, etiam quę naturæ, aut Divini juris sunt, non quidem ut naturalem, aut Dei legem tollat, cum naturale jus immutabile sit, & semper bonũ, ac æquũ est *l. jus pluribus modis. ff. de just. & jur.* nec potest inferior superioris constitutiones labefactare, aut evertere, *cap. cum inferior. de major. & obed. l. sed de pecunia.* §. *nec. n. naturalis ratio authoritate Senatuscõsulti mutari potuit. ff. de usufr. ear. rer. quæ usu consum*; sed tantũ publica auctoritate suadẽte potest utrũq; jus interpretationẽ declarare, adjuvare, distinguere, *l. manumissiones. in fin. & l. jus civile est. ff. de just. & jur* undè cũ causa à lege positiva probata, & pro crimine capitali potest quis alium occidere, quia tũc statuẽs non censetur occisionem, sed criminis dumtaxat vindictam cuicumque committere, ne delicta remaneant impunita, & ut alii terreantur, *Deut. cap. 19. nu. 18.* ibi: *Cumque diligentissimè perscrutantes invenerint falsum testem dixisse contra fratrem suũ mendacium: reddent ei sicut fratri suo facere cogitavit, & auferas malum de medio tui: ut audientes cęteri timorem habeant, & nequaquam talia audeant facere.* Occisio enim hominis in veteri lege non erat delictum quando cum justa causa efficiebatur. *can. cum in lege. 23. qu. 4. Exod. 22. num. 2.* ibi: *Si effringens fur domum, sive suffodiens fuerit inventus, & accepto vulnere mortuus fuerit: percussor non erit reus sanguinis.*

Quod

Quod si orto Sole hoc fecerit, homicidium perpetravit, & ipse morietur, & multi alii casus habentur *Exod. 21. & 22.* ubi authoritas puniendi, & occidendi malos, erat commissa Judicibus, & Principantibus; Potest autem Judex, Princeps, & lex dare alicui facultatem occidendi suum inimicũ, nõ ut rancore animi id faciat, sed ut minister justitiæ, nã potest quemlibet facere ministrũ justitiæ, *can. ille gladiũ. 23. q. 4. & can. de occidēdis. 23. q. 5. Sylvest. verb. consuetudo. n. 22.* Licentia verò, quæ à lege datur Marito, vel Patri occidendi uxorem, vel filiã adulteram, licet excuset illos à pœna temporali, non tamen à pœna ęterna, quia mortalitèr peccant, *can. inter hæc. 6. 33. qu. 2.* similitèr occisio furis facta sine odii meditatione, sed solùm ad bonorum liberationem non punitur pœna temporali, attamen à peccato non totaliter excusatur, ut colligitur ex *cap. 2. circa finem. de homicid.* non enim pro vilibus, & transitoriis rebus est occidendus homo, *cap. suscepimus. 10. in fin. de homicid.* quamvis absolutè illum à peccato excuset *Dian p. 4. tr. 1. de irregular. res. 4.*

Hinc in discrimine vitæ constitutus, si aliter se tueri non potest, aggressorem impunè trucidare valet: *Clem. si furiosus. de homicid.* similitèr ob fame nec essitatem potest aliena accipere; quia etiam hoc à natura est tributum, ut se, vitamque suam tueatur, nocitura declinet, comparetque ad vitam necessaria; adeoq; constitutio hominũ quatenus rectæ rationi servit, potest adversùs decalogi verba statuere. Insuper licet in *l.* Divina dicatur, *quod in ore duorum, vel trium consistit omne verbum. Deut. 17. nu. 6. & cap. 19 nu. 15. Matth. 18.* tamen quia hoc de præcepto non est, sed ad politiam, & civilem dumtaxat institutionem pertinet, ob publicam utilitatem facilè mutationem recepit, & de facto fuit mutatum in testamentis, & codicillis, ubi lex majorem numerũ testium expostulat.

Respondetur secundo, quod jus naturale primęvum ex instinctu, & sine aliqua constitutione, sed sola naturali inclinatione introductum, prout definitur *est quod natura omnia animalia docuit*, ut maris, & fœminæ conjunctio, liberorum procreatio, & educatio, *Inst. de jur. nat. gent. & civil. §. jus autem*; non potest in sua universitate, & totalitate mutari, sed ab omnibus servandum est; sicut etiam Pontifex non potest contra definitiones Apostolorum, vel Sanctorum Patruum definitiones in Oc-

cumenicis Conciliis, aliquid statuere, sed quod prædicatum est, usque ad animã, & sanguinẽ confirmare debet, ut legitur in *can. sunt quidam. cũ aliis seqq.* 25. *q.* 1. Potest tamẽ tale jus naturale in casibus particularibus mutari, ut patet in illo jure naturali *Maris, & fœminæ conjunctio, crescite, & multiplicamini*, quod jus tollitur per votum Religionis, Cęlibatus, & in gradibus Divina, & humana lege prohibitis; undè jus naturale, generalitèr tolli non potest; non enim tolli valet maris, & fœminæ conjunctio, quia non solum status universalis Ecclesiæ periret, sed etiam genus humanum, quod soli Deo reservatum est in fine mundi, sed solum tolli potest in casu particulari interpetrando, addendo, distinguendo, & ideò in *l. 6. ff. de just. & jur.* dicitur: *Jus civile est, quod neque in totum à naturali, vel gentium recedit, neque per omnia ei servit. Et Apost. ad Corinth.* 1. *c.* 7. castitatem commendavit, non præcepit *can. integritas corporis.* 32. *qu.* 1. undè secũdum varietatem temporum fuit mutatum tale jus naturale, & sicut Abraham Deo servivit in vinculo conjugali, ità nunc Virgines Deó serviunt in castitate, *can. quis ignorat.* 32 *q.* 4. ibi: *Quis ignorat sub altera dispensatione Dei omnes retro Sanctos ejusdem fuisse meriti, cuius nunc sunt Christiani? Quomodo ante Abrahã placuit in cõiugio, sic nunc virgines placent in perpetua castitate: servivit ille legi, & tẽpore suo, serviamus & nos Evangelio, & tempori nostro, in quos fines seculorũ decurrerunt.* Hæc autem mutatio interpretativa, vel limitativa iuris naturalis, vel Divini facienda non est, quando nulla ratio naturalis id suggerit, *Host. apud Sylvest. verbo Consuetudo, num.* 22.

Ratio autem quare jus naturale in aliquo casu particulari tolli valet, est, quia licet aliquod naturale secundum se sit bonum, & æquum, tamen aliquando considerata aliqua causa, vel circũstantia, apparet, quod ejus oppositum est magis bonum, & ęquũ, ideò homines, qui non solo instinctu naturali vivunt, sicut reliqua animalia, sed naturali ratione, & discursu utuntur, possunt statuere contra tale ius, illudque interpetrare, vel corrigere in tali casu particulari, sicut defacto fuit introducta servitus, nam melius est servitutem esse, quã nõ esse, cũ servitus sit introducta ne capti in bello perirẽt, unde ad Reipublicæ, & hominum utilitatem, ac conservationem fuit introducta servitus, *Instit.*

tit. de iur. person. §. servi autem ex eo; Licet autem absolutè loquendo servitus bona non sit, tamen bona est considerata tali causa conservationis, nec per servitutem tolluntur omnia jura naturalia, sed tantum impeditur exercitium libertatis, *l. quod attinet. ff. de regul. iur.* qua ratione sunt capaces obligationis naturalis, active, & passive, *Dec. in l. in personam servilem ff. de regul. iur.* Sicut igitur propter aliquam utilitatem potest constitui, & introduci ius singulare, quod sit contra tenorem rationis, *l. ius singulare. 16. ff. de legib.* ità potest constitui aliquod jus singulare, quod sit contra ius naturæ, ut defacto ipsamet natura propter bonum universi permittit, quod res moveatur contra propriam naturalem inclinationem; undè in *cap. non debet. 8. de consang. & affin.* habetur: *Non debet reprehensibile judicari, si secundum varietatem tẽporum, statuta quoque varientur humana, præsertim cum urgens necessitas, vel evidens utilitas id exposcit: quoniam ipse Deus ex his, quæ in veteri testamento statuerat, nonnulla mutavit in novo. can. sententiam Romanæ Sedis. 35. qu. 9.*

Concludimus igitur, quod quando ius naturale, eiusque observantia aliquo modo ab humana approbatione dependet, tunc potest tale jus per legem humanam tolli; naturali enim jure primęvo omnia erant communia quoad usum, & quoad dominia, quia omnes homines ex eisdem parentibus, & ex codẽ stipite procedebant, & pares erãt conditionis, quod ius approbatũ per genus humanum, fuit deinde mutatum per jus gentiũ Occupatione, *l. ex hoc iure ff. de iust. et iur.* sicut etiã fuit per jus civile mutatũ jus naturale, mediante Usucapione, vel Præscriptione, undè Veneti in mari Adriatico mediante præscriptione consecuti sunt iurisdictionem: nam maris, & littorum dominium præscribi potest tanto tempore, cuius initii memoria non extat, *Soacius lib. 2. instit. de rer. divis. §. flumina. & §. riparum. nu. 4.* imò usucapione acquiri valet dominium rei alienę, & sic potest quis locupletari cum aliena iactura, quod etiam naturali ratione fuit statutum, ne scilicet dominia rerum sint in suspenso. *Instit. de usucap. in princip. Gloss. in l. ius pluribus modis. ff. de iust. & iur.* & ut litibus finis imponatur, quod naturali ratione congruum est. *Alex. Carrer. in tract. de sponsal. & matrim lib. 2. cap. 15.* Quando verò ius naturale ab humana approbatione non dependet,

tunc

tunc tolli non potest, ut patet in Sole, & Aere, cuius usus naturali iure est communis hominibus,& animalibus, nec potest ab hominibus tolli, quia non dependet ab humana approbatione, *can.dilectissimis fratribus.* 12. *q.1.* & in hoc sensu etiam intelligitur, quod naturalis ratio authoritate Senatusconsulti mutari non potuit, ut dicitur in *l.2.§. nec enim naturalis.ff.de usufr.ear. rer.quæ usu consum.* inquantū scilicet naturalis ratio, quæ non dependet ab humana approbatione non potuit mutari authoritate Senatusconsulti, sicut nec authoritate constitutionis gentium potuit mutari naturalis ratio hominis,per servitutem enim tolluntur ea quæ iuris civilis sunt, nō verò quæ naturalis iuris sunt, *l. quod attinet. ff. de regul. iur.Dec.in l.in personam servilem: ff.cit.tit.*

Respondetur tertiò, quod ius positivum potest determinationes legis naturalis tollere, non tamen potest tollere principia naturalia, & conclusiones, quæ primo deducũtur ex dictis principiis. In lege enim naturali possumus primo considerare prima principia, quæ nunquam deficiunt à rectitudine, ut alterum non ledere, ius suum cuique tribuere &c. Possumus secundò considerare primas conclusiones ex illis principiis deductas, quæ sunt rarò deficientes, ut non occidas: Et tertiò possumus considerare determinationes quorundam communium in lege naturali contentorum; E. g. in lege naturali habetur, quod peccans punitur; sed quod tali, vel tali pœna puniatur est determinatio legis naturæ, quæ ex sola humana lege vigorem habet, *Divus Thomas 1.2.qu.94.ar.4.& 5.& qu.95. ar.2.* Determinationes autem istæ sicut per ius positiuum fuerunt introductæ; ità tali iure tolli possunt;prima verò principia, & primæ conclusiones ex illis mutari, & tolli non possunt, sed tantum interpretrari, limitari,& distingui, prout ratio naturalis suggerit. Verum tamen est, quod in pœnis.E.g.quæ sunt determinatæ secundum legem Divinam, nō est Iudicis misericordiam facere, tum ratione Accusatoris, cui plerumque interest,ut reus puniatur, tũ ratione Reipublicæ,cuius interest maleficia puniri, *Divus Thomas 2.2. qu.67. ar.4. Tiraquell. in præfat. de pœnis temperandis nu.3.*

Ego tamē dico,quod lex naturæ ex se immutabilis est,& quātum ad prima principia, & quātum ad primas conclusiones; tamen mutari potest per additio-

tionem, vel in casu particulari ratione alicujus circumstantiæ mutari potest usus; videas *Carbon. de legib. lib. 5. disp.* 8.

CAPUT QUARTUM
De Consanguinitate.

COnsãguinitas dupliciter sumitur, primò Generalitèr, secundo Specialitèr, & propriè. Cõsanguinitas propriès & specificè sũpta est proximitas personarũ ex eo proveniens, quod ab eodem immediato viri stipite descẽdunt; undè propriè loquendo Consanguinei tantum dicuntur Fratres, & Sorores ab eodem Patre nati, *Inst. de legit. agnat. success.* §. 1. ibi: *Itaque ex eodem patre nati fratres, agnati sibi sunt, qui & consanguinei vocantur, nec requiritur an etiam eandem matrem habuerint, &* §. *quo ad fœminas verò attinet, ità placebat, ut ipsæ consanguinitatis iure tantum capiant hæreditatem, si sores sint, ulterius non capiant*, *l.* 2. §. *si sit consanguinea soror defuncti. ff. ad Senatusconsult. Tertyll.* Si verò ab eadem tantum matre descendũt, tunc dicuntur Fratres, & Sorores uterini.

Consanguinitas generalitèr sũpta idẽ est, ac Cognatio naturalis generalitèr sumpta, seu Parẽtela, *cap non debet de consang. cap.* 3. *in fin. de sentent. excom.* ubi linea consanguinitatis appellatur, quę ex parentibus constat, *can. ad sedem apostolicam.* 35. *q.* 5. ibi: *enim verò ubi secundum leges inter agnatos, & cognatos defertur successio, Consanguineos esse non dubium est. Neque enim sibi succederent, nisi inter se parentelæ vinculo tenerentur. can. in copulatione fidelium.* 35. *qu.* 2. *&* 3. ibi: *Nulli Christiano liceat de propria consanguinitate, seu cognatione uxorem accipere*. Undè in tali acceptione definitur: *est attinentia personarum ex eo proveniens, quod una descendit ab alia, vel ambæ ab eadem persona sive immediatè, sive mediatè*; Consanguinei enim appellatur à Con, & Sanguine, inquantum communẽ sanguinẽ habent, vel de uno sanguine procedunt, *l.* 1. §. *post suos. ff. de suis, et legit. hæred.* Dicuntur etiam isti Consanguinei Propinqui sanguinis, sicut etiam Consanguinitas Propinquitas sanguinis dicitur in *can. qui propinquam sanguinis; & can. nullum in utroque sexu.* 35. *qu.* 2. *&* 3.

Hinc Consanguinei dicunt om-

omnes agnati, quamvis propriè loquendo agnati possint esse Consanguinei, & non consanguinei, ut supra in *cap.3.qu.3.* dictum est; nam tantum fratres, & sorores propriè dicuntur agnati, & consanguinei, & ideò in *l. post consanguineos. 2. ff. de suis, & legit.haeredibus*, dicitur, quod post fratres, & sorores, alii non veniunt ad successionem jure consanguinitatis, sed jure agnationis; de jure tamen Canonico, & Civili omnes illi, qui ad successionem veniunt, usque ad decimum gradum Consanguinei appellatur, *can. conjunctiones consanguineorum fieri prohibete*, ibi: *Eos autem consanguineos dicimus, quos Divina, & Imperatorum, & Romanorum, atq; Grecorum leges Consanguineos appellant, & in haereditate suscipiunt, nec repellere possunt. 35. qu.2. & 3. can. ad Sedem Apostolicam.* 35. *qu.* 5. ibi: *Enim verò ubi secundum leges inter agnatos, & cognatos defertur successio, consanguineos esse non dubium est. Neque enim sibi succederent, nisi inter se parentelae vinculo tenerentur. Succedunt autem inter se, teste Justiniano, in decimo gradu: consanguinei igitur sibi sunt, qui sibi succedunt. Quod si in decimo gradu consanguinei sibi existunt, non est terminata consanguinitas (ut ipsi fatentur) in sexto tantummodò gradu.*

In ista generali acceptione tàm à Legistis, quàm à Canonistis accipitur consanguinitas, dũ dicitur Arbor consanguinitatis, nam in illa non solum ponuntur Fratres, & Sorores, sed omnes ascendentes, descendentes, & collaterales, & in tali consanguinitate generalitèr sumpta datur distinctio, & numeratio graduum, *can. progeniem. can. de consanguinitate sua, cum aliis seqq. 35. qu.2. & 3. can. consanguinitas. 35. qu.4. can. series consanguinitatis, & can. ad Sedem Apostolicam. 35. qu. 5.*

De consanguinitate plura à nobis etiam dicta sunt in *prima parte in cap.1. §.1. disp.1. & in hac secunda parte cap. 2. Videas Oliver. Textor. de grad. cognat. q. 7. & 8. Bart. in l. cum quidam. 30. §. quod dicitur. num.1. ff. de acquir. haered. Petr. à Placa lib.1. epitom. delictor. cap.39. nu.10. & 11. Petr. Lortot. in tract. de consanguinitate.* ubi omnes effectus consanguinitatis enumerat, per plura axioma.

CA-

CAPUT QUINTUM

De Affinitate.

QUia Affinitas unionem cognationum importat, ideò non alienum est hoc loco de affinibus breviter differere; oritur autem affinitas ex carnali copula cum sanguinis, seù seminis commistione, etiam si proles non sequatur, undè ex copula habita cum sterili oritur affinitas, licet cognatio non sequatur, quæ ratione propagationis prolis habetur *l.*4. ibi: *cognati ab eo dici putantur, quod quasi unà communiterve nati, vel ab eodem orti, progenitive sint. ff. de grad. affinit.*

Affinitas aliter definitur à legistis, aliter à Canonistis, & ratio diversitatis non est, quia leges considerant affinitatem in ordine ad hæreditates, & tutelas deferendas, ut malè aliqui interpetrantur *tex. in l. jurisconsultus. D. de grad. affinit.* nàm affinitatis jure nulla successio est, cùm affinis non sit agnatus, neque cognatus, quibus hæreditas, bonorum possessio, & tutela defertur, *d. l. jurisconsultus, & Auth. de hæred. ab intest. venient. §. si verò. §. ex his. & §. si autem*; undè Vitricus nō succedit Privigno *l. vitrico. C. comm. de success.* sed quia considerant affinitatem, inquantum lege publicorum judiciorum non cogimur inviti contra affines, & cognatos testimonium dicere *l.* 4. *ff. de testib. d. l. jurisc̄osultus*, & ideò jure civili quoad omnem alium effectum, præterquam, quoad matrimonium impediendum, ad affinitatem causandam requiruntur nuptiæ; undè in *l. non facile. 4. §. affines sunt. ff. de grad. affinit. habetur; Affines sunt viri, & uxoris cognati, dicti ab eo, quod duæ cognationes, quæ diversæ interse sunt, per nuptias copulantur, & altera ad alterius cognationis finem accedit: namque conjungendæ affinitatis causa, fit ex nuptiis. & in § sciendum.* habetur: *sciendum est, neque cognationem, neque affinitatem esse posse, ubi nuptiæ interdictæ sunt, ex quibus affinitas conjungitur.*

Hinc à legistis definitur affinitas: *est diversarum cognationum per nuptias copulatio*, undè affines, sunt personæ nobis citra cognationem, ex nuptiis conjunctæ. *Petrus Loriot. in l 4. §. sed quoniam*

quadam jura. ff. de grad. affinit. ubi text. dicit: *affines sunt viri, & uxoris cognati, dicti ab eo, quod duæ cognationes, quæ diversæ sunt, per nuptias copulantur, & altera ad alterius cognationis finem accedit: namque conjungendæ affinitatis causa fit ex nuptijs*. Verùm hæc definitio non videtur admittenda, nam etiam in eadem cognatione potest causari affinitas; insuper de jure civili etiam ex copula illicita causatur affinitas, ut infra dicemus.

Canones verò considerant affinitatem, quæ ex copula, seu unione carnis consurgit, inquantum est impedimentum matrimonij, & ideò secundum canones exquacunque copula tam nuptiali, & licita, quam illicita, adulterina, &c. oritur affinitas.

Hinc à Canonistis definitur affinitas: *est vinculum, seu propinquitas personarum proveniens ex copula naturali prolifica licita, vel illicita consummata.* Dicitur *vinculum*, seù *propinquitas* loco generis, quia omnis affinitas est vinculum, seù propinquitas, sed non è contra, nam in cognatione naturali, spirituali, & legali datur vinculum, seù propinquitas, & tamen non datur affinitas.

Dicitur *Personarum*, in numero plurali, ad denotandum affinitatem esse respectu plurium, & diversarum personarum; quia una, & eadem persona non est sibimet affinis, sed alteri, nam affinitas ex eo dicitur, quod diversæ personæ, seù cognationes, quæ prius erant extraneæ, & elongatæ, per copulam carnalem adinvicem approximatur, & copulantur *l. non facile. 4. §. affines sunt. ff. de gradibus affinit. can. cum igitur. 35. q. 1.* & retinendo propriam cognationem, ad finem alterius cognationis accedit, & fit una caro per copulam, cùm licitum non sit Christiano de sua cognatione in matrimonium assumere *can. qui desponsatam. 12. in fin. 17. q. 2. can. qui propinquam. 35. q. 2. & 3.* sed hoc intelligitur quando non servatur debita distantia gradus, nam potest quis servata debita distantia, de sua cognatione in matrimonium assumere *can. nulli ex propinquitate sui sanguinis, usque ad septimum gradum uxores ducant. can. nullum in utroque sexu. can. progeniem suam. & can. de consanguinitate sua. 35. q. 2. & 3.* & secundũ hoc verificatur, quod in eadem cognatione potest causari affinitas, prout supra dixi, impugnando definitionem affinitatis, quæ à legistis ponitur, nam in eadem cognatione, illi tantùm interquos datur proximitas sanguinis in gradibus ab Ecclesia de-

determinatis, non possunt matrimonium contrahere *can. nullū in utroq; 35. q. 2. & 3.*, & ita non est universaliter verū, quod affinitas est diversarum cognationum per nuptias copulatio, prout à legistis dicitur, licet à principio ita fuit.

Ratio autem quare dispositum fuit, ne quis de sua consanguinitate uxorem duceret est; quia licet secundum legem Divinam non fuisset prohibitio in secundo gradu lineæ collateralis, nam filij duorum fratrum poterant simul conjungi; ut notatur in *cap. literas. de restit. spoliat.* tamen prohibitio ista emanavit, propter charitatem ampliandā *can. 1. 25. q. 1.* nam si contraherem cum sorore mea e. g., idem esset Pater, & Socer, si verò cum alia contraherem, alius esset Pater meus à Socero meo.

Dicitur *Proveniens ex copula naturali*, ad denotandum, quod copula carnalis est causa affinitatis, ut patet ex *tit. decretal. de eo qui cogn. consang. uxor. suæ, & ex tit. de consang. & affinit. Navar. de consang. & affinit. consil. 1.* unde ex solis sponsalibus sine copula carnali non nascitur affinitas, sed oritur publicæ honestatis justitia, quæ etiam est impedimentum dirimens *cap. ad audientiam. 4. cap. sponsam. 8. de sponsal. can. si quis desponsaverit sibi. can. si quis uxorem. & can. si quis desponsaverit uxorem. 27. q. 2.* quia ad affinitatem causandam requiritur, quod vir, & mulier efficiantur una caro *can. de propinquis. can. nullum in utroque sexu. 35. q. 2. & 3. can. fraternitatis. & can. si cujus. 35. qu. 10.* non aliter autem vir, & mulier possunt fieri una caro, nisi carnali copula cohæreant; nam propinquitas sanguinis verbis dicitur, sed neque verbis, neque osculo efficitur *can. lex Divinæ. 27. q. 2.* similitèr ex matrimonio rato non consummato, nō oritur affinitas, sed solum publicæ honestatis justitia *Dian. par. 6. tr. 8. resol. 25. de qua re vide quæ diximus in prima par. cap. 1. §. 1. disp. 3. q. 5.* Multum autem deservit cognoscere, an publica honestas, an verò affinitas oriatur, Primo quia licet utrumque impedimentum æqualiter dirimat usque ad quartum gradum, tamen major pecunia requiritur in Dataria quando dispensatur in affinitate, quam in publica honestate; Secundo quia contrahentes cum affinibus sine dispensatione incidunt in excommunicationem latæ sententiæ *Clem. unic. de consang.*, quæ excommunicatio non contrahitur, quando affinitas non adest *Dian. loc. cit. Sanch. lib. 7. de matrim. disp. 64. n. 23.*

n.23. Et tertio quia, quando petitur dispensatio, veritas est exprimenda in supplicatione.

Quamvis ex sponsalibus oriatur publica honestas, ut dictum est, tamen si sponsalia sint contracta cum minore, ante septennium, non oritur impedimentum publicæ honestatis, nisi completo septennio, & ideo antequam compleatur talis ætas, potest cum matre dictæ puellæ matrimonium contrahere *cap. litteras.* 4. *& cap. accessit.* 5. *de despons. impuber.* Sed hoc limitatur quando ille qui sponsalia cum puella septenni contraxit, illam ex traordinaria libidine polluit, nam tunc oritur impedimentum publicæ honestatis, licet non oriatur affinitas *cap. fraternitati tuæ. 7. de eo qui cogn. consanguin. uxor suæ. cap. accessit.* 5. *de despons. impuber. cap. juvenis.* 3. *de sponsal. & matrim.*

Ut autem causetur affinitas ex copula carnali, requiritur, quod illa sit naturaliter habita, unde copula habita ope demonis affinitatem non parit, quia naturalis non est, ut probabiliter tenet *Basil. lib.7. cap. 34. n. 2. & lib. 9. cap. 9. relatus à Julio Capone controvers. forens. 26. n.6.* est contra *Sanch. lib. 2. disp. 21. num 2. & lib.7. disp.65. n.15. Bonac. de imped. matrim. q.3. pun.12. num.14.* dicentes affinitatem causari quando semen intra vas fæmineum recipitur quacunque arte, sive recipiatur arte humana, sive diabolica, sive cum violatione claustri, sive absque claustri violatione, sive sponte, sive casu, & rationem assignant; quia inde potest sequi generatio, quamvis aliquando impediatur, nam licet controversum sit apud *DD.* an ex copula habita cum demone possit sequi generatio, ut videre est apud *Pignatell. tom.4. consult. 101. n.2. & seqq.* tamen non sunt infimæ notæ *DD.* asserētes, quod potest sequi generatio, non ex proprio demonis semine, quo caret, sed ex humano semine aliunde petito, & ita qui ex tali concubitu nascitur non est filius demonis, sed est filius illius hominis, cujus erat semen, ex quo arguũt: si illius hominis filius est, ergo per commistionem seminis jam est factus cum muliere una caro, quod requiritur, & sufficit, ut oriatur affinitas.

Ego tamen probabilius puto, quod ex copula demoniaca non oritur affinitas cum consanguineis illius, à quo fuit desumptum semen, quia cum tali homine mulier non adhæsit; & ideò non potest dici, quod sunt facti una caro, prout requiritur ex *can. lex Divina. & can. decret a-*

le-

legalia. 27. q. 2. Dian. p. 3. tr. 5. miscell. resol. 19. citans *Pontium*. Admitto tamen, quod ex permistione seminis, sive cum violatione claustri, sive absque violatione, sive cum muliere dormiente, sive illa invita, ebria, insana, &c. oritur affinitas, ut tenent *Sanch. & Bonac. loc. cit. num. 16. & 17. Oliver. Textor. de affinit. n. 12. 13. 19. & 20.* quia ex tali copula potest sequi generatio, & naturalis cõmistio feminũ *cap. discretionem. 6. de eo qui cogno. cõsang. uxor. suæ*; sed non admitto, quod si semen casu illabatur in naturale vas mulieris, nascatur affinitas, ut etiam tenet *Pontius de matrim. lib. 7. cap. 33. n. 2.* ubi dicit, quod si quis extraordinariè polluat fœminam aliquam, emittendo semen post extractum è vase naturali membrum, quamvis postea casu illabatur semen in naturale vas, nulla resultat affinitas *Dian. l. cit.* undè idem *Bon. l. c. n. 6. & 7.* dicit, quod ex copula demoniaca, vel ex casuali seminum commistione non oritur affinitas ut impedimentum dirimens, quia tale impedimentum oritur ex lege Ecclesiastica, & leges pænales ad insolita nõ extenduntur, *l. nam ad ea. ff. de legib.*

Si tamen sustinere vis, quod ex copula demoniaca, & ex casuali permistione feminum oritur affinitas, tunc particula illa posita in definitione affinitatis, videlicet *proveniens ex copula naturali* deservit, ut excludatur copula innaturalis, puta copula sodomitica, vel copula, quæ fuit habita cum mortua, aut extra vas naturale *can. extraordinaria pollutio. 35. q. 2. & 3. can. adulterij malum. 32. q. 7. Gratian. in can. hoc ipsum. §. hoc autem. 33. qu. 2.* ex istis enim copulis nulla oritur affinitas, ut communiter tradunt *DD.* similiter si vir claustrum pudoris intravit, sed non emisit semen, non oritur affinitas *Capell. Tholos. q. 96.*

Dicitur *Prolifica* ad ostendendum, quod ex commistione eviratorum non nascitur affinitas, quia ex illa non sequitur prolificatio *Bonac. de imped. matrim. q. 3. pun. 12. num. 15. & punct. 13. n. 19.* ad contrahendam enim affinitatem requiritur ea copula, quæ est sufficiens ad generationem, seù quà vir, & mulier efficiuntur una caro, sed spadones non habent semen sufficiens ad generationem, ergo ex illorum commistione nõ potest fieri una caro *Sanch. lib. 7. de matrim. disp. 64. num. 11.*

Dicitur *licita*, *vel illicita* ad denotandum, quod secundum canones, tam ex copula licita, quam illicita oritur affinitas, sicut

cut etiam secundum leges civiles oritur affinitas ex copula illicita, solum in ordine ad matrimonia impedienda *l. adoptivus filius. 14. §. id tamen. ff. de ritu nupt*; ex quo aliqui inferunt cũ *Præposit. in arbor. affinit. n.* 15. quod stante statutaria dispositione, quod affinis teneatur compromittere, vel quid simile, debet intelligi de affine mediantibus nuptiis, non verò ex illicito coitu, quia solum affinitas ex nuptiis consideratur de jure civili in ordine ad alios effectus, præter matrimonium contrahendum.

Dicitur *consummata*, quia ad contrahendam affinitatem non sufficit, quod vir intravit claustra pudoris, sed insuper requiritur consummatio, seù emissio seminis intra vas *Capella Tholos. q. 96.* nam ex seminis commistione oritur affinitas *can. lex Divinæ. 27. qu. 2. can. extraordinaria. 35. q. 3. Sanch. l. cit. n.* 8. & ideo si tantum fęmina consummaret, nõ oriretur affinitas, quia ejus semen non sufficit ad generationem, *Bonac. de imped. matrim. qu. 3. pun. 12. n. 13.*

Difficultas tamen non levis est, an ex sola emissione seminis facta per virum intra vas femineum causetur affinitas, an verò requiratur etiam emissio seminis facta per mulierem, & sic concursus utriusque seminis. In qua difficultate pro utraque parte sunt *DD.* & rationes, ut videre est apud *Bonac. l. cit. n. 13. Sanch. l. cit. n. 20. & seq. Capell. Tholos. q. 96. num. 4. Dian. par. 3. tract. 5. miscell. resol. 19. & par. 4. tract. 2. resol. 43. & in addit. secundaria ad primam, secundam, & tertiam partem resol. 21.* Dicit tamen *Oliver. Textor. in tit. de affinit. n. 18.* quod quando vir emittit semen intra vas mulieris, & ibi in matrice per tempus receptum est, tunc per talem copulam contrahitur affinitas, quia in tali casu difficile est, quin in toto, vel in parte ibi non fuerit aliqua commistio seminis viri, cum aliqua mulieris materia, sive illa sit seminaria, sive menstruosa, sive sanguinea: si verò vir seminavit in claustro mulieris, & illa timens impregnari, cito eijciat semem viri, vel non patiatur aliquo modo commisceri matrici intra claustra mulieris, tunc non contrahitur affinitas, quia in tali casu non intervenit sanguinis commistio. *Hæc Oliver.* n.

Ex his igitur patet quod optima est definitio affinitatis, quæ traditur à canonistis, cum adæquatè explicet illius essentiam. Ego tamen clarius illam hoc modo definio: *est proximitas, seu vinculum inter virum, & consan-*

gui-

guineos mulieris, nec non inter mulierem, & consanguineos viri usq; ad certum gradum, ex copula naturali consummata, licita, vel illicita proveniens. Per istam enim definitionem explicatur essentia affinitatis, & interquos datur tale vinculum, nam statim ac vir cognoscit mulierem, efficiũtur una caro, & ideo consanguinei viri, qui antea remoti, & extranei erant, approximantur, & affines evadunt mulieri cognitæ, sicut consanguinei mulieris approximantur, & affines evadunt viro cognoscenti, *can. de propinquis. can. nullum in utroque sexu. 35. q. 2. & 3. can. consanguinitas. 35. q. 4. Unde lib. 3. Reg. cap. 3.* habetur: *Confirmatum est igitur regnum in manu Salomonis, & affinitate conjunctus est Pharaoni Regi Ægypti: accepit namque filiam ejus &c.*

QUÆRES I.

Quotuplex est Affinitas?

Duplicem affinitatem assignat *Bald. in l. affinitatis. C. comm. de success.* alia enim est affinitas Initiata, alia Consolidata, seù Consummata. Affinitas initiata est, quæ ex sponsalibus tãtùm oritur, & confũditur cũ justitia publicæ honestatis, quæ etiam ex sponsalibus oritur, & primum gradum nõ excedit. *ex Trid. sess. 24. cap. 3. de reform.* sed hoc procedit in sponsalibus de futuro, non verò in matrimonio rato non consummato, quia ex tali matrimonio oritur impedimentum publicæ honestatis usque ad quartum gradum, ut patet ex motu proprio Pii V. incipit *Ad Romanum.* de quo egimus in *prima parte cap. 1. §. 1. disp. 3. q. 5. & 6.* Affinitas verò consummata, seù Consolidata, est illa, quæ ex carnali copula oritur.

Hæc affinitas Consummata plures patitur subdivisiones, & Primo affinitas Consummata vel est Licita, vel Illicita; aut, ut dicit *Hostien. in sum. de affinit.* vel est Naturalis, & Civilis, seù Legitima, vel Naturalis tantùm; Affinitas illicita, seù naturalis tantùm est, quæ ex copula fornicaria, & prohibita ortum habet, & talis affinitas parit impedimentum dirimens matrimonium in primo, & secundo gradu tantùm, ex dispositione *Trid. sess. 24. cap. 4. de refor.* quæ affinitas naturalis etiam inter infideles contrahitur secundum aliquos, ut dicit *Barbos. ad Trid. loc. cit. num. 3. & 4.* quod est contra *Navar. de consang. & affinit. cons. 12.* verùm tamen est, quod quando infideles contraxerunt in gradibus prohibitis à jure

Ca-

Canonico, non sunt separandi quando ad fidem veniunt, *cap. 4. de consang. & affinit.* videas in prima parte *cap. 1. §. 1. disp. 2. q. 1.* Cognoscitur hæc affinitas naturalis, non solum à jure Canonico, sed etiam à jure Civili, nam in *l. liberi. C. de nupt.* prohibet Imperator ne filius contrahat cũ concubina patris, propter affinitatem; undè allucinatus est *Coras. lib. 1. miscellan. cap. 3.* existimando ex concubinatu non oriri affinitatem, sicut etiam allucinatus est *Goffred.* qui in *sum. ma* censuit, quod ex damnato coitu non consurgit affinitas de jure civili, sed tantùm publicæ honestatis justitia. Verùm tamen est, quod secundum leges talis affinitas ex copula illicita non consideratur, nisi pro matrimonio impediendo. Affinitas Licita, seù Naturalis, & civilis est, quæ ex copula matrimoniali oritur, & quia impedimentum, quod ex hac affinitate consurgit non reperitur restrictum per decretum *Trid. sess. 24. cap. 4. de ref.* ideò dirimit matrimonium usque ad quartum gradum, sicut erat statutum in *cap. non debet de consang & affinit. Barb. ad Trid. l. cit. nu. 7.* undè sicut ex matrimonio rato non consummato oritur justitia publicæ honestatis usque ad quartum gradum, ità ex matrimonio consummato oritur affinitas usque ad quartum gradum; videas in *prima parte cap. 1. §. 1. disp. 2. qu. 2. & 3.*

Secundo affinitas consummata alia est Ascendentium, alia Descendentium, & alia Transversalium; vel ut dicit *Bonac. de imped. matrim. q. 3. pun. 12. nu. 4.* alia est affinitas in linea recta, alia in linea transversali; cum enim per carnalem copulam vir, & mulier sint facti una caro, consanguinei mulieris approximantur viro, & consanguinei viri approximantur mulieri, *can. consanguinitas. 35. qu. 4.* itaut vir æqualiter conjungitur consanguineis suis, & cõsanguineis mulieris, sicut mulier conjungitur consanguineis suis, & viri, *can. æqualiter. & can. sanè consanguinitas. 36. qu. 2. & 3.* & illo gradu, quo consanguinei mulieris conjunguntur dictæ mulieri per consanguinitatem, conjunguntur viro per affinitatem, & è cõtra, *can. porro. 35. qu. 5.* ideò illi, qui sunt ascendentes viri, vel mulieris per consanguinitatem, dicuntur affines viri, vel mulieris in linea ascendentium, illi qui sunt descendentes viri, vel mulieris per consanguinitatem, dicuntur affines viri, vel mulieris in linea descendentium, & illi, qui sunt collaterales viri, & mu-

mulieris per consanguinitatem, dicuntur affines viri, vel mulieris in linea collaterali.

Tertio, affinitas tàm licita, quàm illicita, vel est cum publica honestate, vel sine publica honestate. Affinitas cum publica honestate est, quæ causatur ex copula habita cum sponsa, vel uxore; habetur enim tunc non solũ impedimentũ affinitatis, causatum ex copula, sed etiã impedimentum publicæ honestatis, causatum ex sponsalibus, ut dictum est in *prima parte cap. 1. §. 1. disp. 3. qu. 3.* Affinitas sine publica honestate est illa, quæ ex copula consurgit sine sponsalibus, sicut ex solis sponsalibus sine copula consurgit publica honestas, *Io: Brunell. in tract. de sponsal. & matrim. conclus. 26. num. 2.*

Hæc distinctio affinitatis deservit, non solùm quia faciliùs dispensari valet in publica honestate, quàm in affinitate, cum impedimentum affinitatis saltẽ quo ad aliquas personas, & gradus sit introductum jure Divino scripto *Levit. 18.* impedimentum verò publicæ honestatis tantum jure Ecclesiastico, *Navar. de consang. & affinit. consil. 4. num. 8.* Sed etiam quia, quando subest utrumque impedimentum, qui petit dispẽsationem, de utroque mentionem facere debet, na m ut dicit *Stephan. Costa in tract. de affinit. num. 2. & seq.* si mort ua uxore, petis dispensationem ab Ecclesia, ut valeas contrahere cum consanguinea uxoris in tertio gradu, si obtines dispensationem, quod valeas cum illa contrahere, non obstante, quod sit tibi affinis in tertio gradu, per talem dispẽsationem contrahere non potes, cum tantum sit sublatum impedimentum affinitatis, non verò impedimentum publicæ honestatis, de quo nulla mẽtio, nec expressè, nec tacitè facta fuit; verum temen est, quod si saltem implicitè de utroque impedimento est facta mentio, tenet dispensatio, licet tantùm de affinitate expressè loquatur, puta si quis impetravit dispensationem, ut ei licitum esset matrimonium contrahere cum Berta, quæ fuit uxor sui cõsanguinei defuncti, non obstante affinitate in tertio gradu E. g., tunc tenet dispensatio, & potest matrimonium contrahi, quia utrumq; impedimentum est sublatum; eo enim ipso, quod facta est mẽtio, quod fuit uxor consanguinei sui, implicitè intelligitur facta mentio de publica honestate: si verò publica honestas non comprehenditur ex narrativa verborum, puta si impetravit dispen-

sationem, ut licitum sit ducere in uxorem Bertam, non obstante quod sit affinis in tertio gradu, tunc non valet dispensatio, quia affinitas contrahi valet sine matrimonio, & sine publica honestate, & secundum istam distinctionem recipio doctrinam *Stephani Costæ*; ità etiam tenent *Io: Brunel. de sponsal. & matrim. concl.26.num.3. Prosdoc. de Comit. de affinit. num.7. & 8. Navar. de consang. & affinit. cons. 7. Pignatell. tom.4. consult.14.* qui *num.3.* dicit, quod si explicat affinitatẽ esse ex copula licita, sustinetur dispensatio, sicut etiam si petatur dispensatio in tertio, vel quarto gradu affinitatis, quia tunc implicitè includitur publica honestas, cum affinitas ex illicita copula usq; ad talẽ gradũ non excurrat ex *Trid.*: si verò explicet tantum affinitatem in genere, tunc non substinetur dispensatio, quia publica honestas non includitur. Vndè perperam loquitur *Alexand. Carrer. in tract. de sponsal. & matrim. lib. 2. cap.11.* ubi contra *Goffredum* indistinctè dicit, quod sublata affinitate, publica etiam honestas censetur remissa, cum ex affinitate omnino proficiscatur, & ejusdem socia sit, cujus dictum verum est, quando est sublata affinitas ex copula licita, ut dictum est.

Dicit tamen *Navar. loc. cit. nũ. 1. consil.8. num.2. & consil.9. n.2.* quod quando concurrit affinitas cum publica honestate, si tantùm de affinitate fecit mentionem, & obtinuit dispensationẽ, non vitiatur dispensatio, nec gratia dicitur subreptitia, nec utile per inutile vitiatur, non tamen potest contrahere, nisi petat dispensationem super alio impedimento, ideò poterit deindè petere dispensationem super impedimento publicæ honestatis, quia taciturnitas veri, quod expressum retraheret Principem à gratia facienda, non facit illam subreptitiam, nisi sit tale, de quo jure caveatur illud esse exprimendum, ut est, si quis habuit copulam cum consanguinea, eo fine, ut facilius impetraret dispensationem, nam in tali casu de utroque est facienda mentio, scilicet de consanguinitate, & de incestu cum tali fine, quia Pontifex declaravit, se non habere voluntatẽ dispensandi cum talibus, *Navar. d. cons. 8. num.5. & consil.9. in fin.* Si verò incestus non sit commissus tali fine, poterit Episcopus dispensare ex justa causa; *Navar. d. consil.8. num.4.* quia non est impedimentum dirimens, sed tantũ impediẽs, *Navar. d. cons.9. n.4. & cons.10. et 11.* ubi dicit, quod incestus commis-

missus post impetratam commissionem dispensandi super consanguinitate, vel affinitate, sed antequam fieret dispensatio, non vitiat dispensationem.

QVÆRES II.

Quot sunt genera affinitatis?

Antiquitus tria genera affinitatis dabãtur, ut patet ex *cap. non debet. de consang. & affinit.* Hodie verò tantum primũ genus est in consideratione.

Primum affinitatis genus cõsurgit inter consanguineos mulieris cognitæ, & virum cognoscentem, sicut etiam, inter consanguineos viri, & mulieris cognitæ, in illis tamen gradibus, prout supra dictum est.

Secundum genus affinitatis consurgit, quando persona aliqua per carnis copulam additur personæ, quæ est mihi affinis in primo genere affinitatis; puta, uxor fratris mei est mihi, & consanguineis meis affinis in primo genere affinitatis, si mortuo fratre meo, talis uxor cognoscatur à Titio E.g. talis Titius dicitur mihi, & omnibus consanguineis meis affinis, secundo genere affinitatis, quia nobis jungitur, mediante persona mulieris, quę nobis erat affinis primo genere affinitatis, consanguineis verò mulieris fit affinis primo genere affinitatis: idem est, si moriatur uxor fratris mei, qui deindè aliam cognovit, nam hæc secunda mulier fit mihi, & consanguineis meis affinis in primo genere affinitatis; consanguineis verò primæ uxoris, fit affinis secundo genere affinitatis, quia fit affinis mediante persona mei fratris, qui erat illis affinis primo genere affinitatis. Similitèr si duo viri, qui inter se nullo vinculo tenebantur, in uxores accipiant duas sorôres, etiam si sint sores consobrinæ, dicuntur dicti viri inter se affines secundo genere affinitatis, *Sanfelic. tom. 2. decis. 254.* quia quilibet ex istis est affinis sorori suæ uxoris primo genere affinitatis, quilibet autem, qui jungitur dictæ sorori uxoris, fit ei affinis secundo genere affinitatis, cum ei addatur, mediante persona, quæ ei affinis erat primo genere, ut dictum est; eodem modo discurras si duo fratres acciperēt duas mulieres, nam dictæ mulieres dicerentur inter se affines secundo genere affinitatis.

Tertium genus affinitatis est, quando persona aliqua per carnalem copulam additur personę, quæ est mihi affinis secundo genere affinitatis, E. g. soror

mea accepit in virum Titium, iste Titius est mihi affinis primo genere affinitatis; moritur soror mea, & Titius aliam accipit uxorem, vel aliam fęminam cognoscit, ista secunda mulier est mihi,& consanguineis meis affinis secundo genere affinitatis,ut dictum est: si deindè Titius moriatur, & hæc secunda mulier alium accipiat virum,puta Franciscum, tunc iste Franciscus est mihi, & consanguineis meis affinis tertio genere affinitatis, quia nobis jungitur mediante persona, quæ nobis erat affinis secundo genere affinitatis. Vndè quando persona additur, seu adjungitur mihi, quia fuit juncta consanguineis meis per copulã, illa fit mihi affinis primo genere affinitatis: quando adiungitur mihi mediante meo, vel mea affine,tunc fit mihi affinis secũdo, vel tertio genere affinitatis, quia si adjungitur mediante affine, qui, quęve mihi iungebatur primo genere affinitatis, tũc dicitur mihi affinis secundo genera affinitatis; si verò mihi iungitur mediante persona, quę mihi affinis erat secundo genere affinitatis,tunc iste est mihi affinis tertio genere affinitatis. Ita communitèr explicãtur ista tria genere affinitatis,ut videre apud *Oliver: Textor. de affinit. num. 26. & seqq. Io: Brunell. in tract. de sponsal. & matrim. concl. 26. nu. 5. Alexand. Carrer. de sponsal. et matrim. lib. 2. cap. 12. Stephan. Costa in tract. de affinit. nu. 6. & seqq. Io: Andr. in arbor. affinit. num. 6. Navar. de consang. & affinit. consil. 3. nu. 2. Sanch. lib. 7. de matrim. disp. 67. num. 1. Rovit. in prag. 1. de suspit. official. num. 33.*

Vel breviùs dicas,quod cognati meę uxoris sunt mihi in primo genere affinitatis; si uxore mea mortua, secundam duxero, cognati illi prioris uxoris, secundę meæ uxori erũt in secũdo genere affinitatis:quod si me mortuo,secunda illa uxor, Sempronio nubat, cognati primæ uxoris erunt huic Sempronio in tertio genere affinitatis.

Ex istis igitur generibus affinitatis, hodie tantùm primum genus recipitur de jure Canonico, ut dictum est,unde inter consanguineos viri, & consanguineos mulieris, tàm de iure Canon. quàm civili, nulla oritur affinitas,& vinculum impediens matrimonium,qua ratione filia uxoris ex alio viro habita,potest matrimonium contrahere cum filio, aut fratre viri, & duæ sorores possunt nubere duobus fratribus *cap. quod super his. de consang. & affinit.* Nec valet opponere *tex. in l. non facile. 4. §. affines sunt*

vi-

viri, & uxoris cognati. ff. de grad. affinit. quia *tex.* non intelligitur, quod isti cognati sunt affines inter se, sed solum, quod cognati uxoris sunt affines viro, & cognati viri sunt affines uxori *can. nullum in utroque sexu. can. de propinquis. 35. qu. 2. & 3. can. qui desponsatam. 27. q. 2. Petrus Loriot. in d. l. 4. in prima regula. David Doringij in Bibliothec. jure-consult. verb. Affines. num. 6.* ubi dicit, quod illa affinitatis copulatio intelligitur impropriè, non obstante quod vulgò se affines viri, & uxoris cognati salutare soleant, & solum quoad unum extremum illius verificatur; id est cognati uxoris attinent marito per affinitatem, & cognati mariti attinent uxori, inter ipsos tamen cognatos mariti, & uxoris nulla affinitas datur, & sic cõprivigni inter se nõ sũt affines, licet sint viri, & uxoris cognati.

Affinitas in secundo genere non prebet impedimentum in contrahendo matrimonio, *glos. in cap. non debet. de consang. & affinit.*. Unde qui habuit Bertam uxorem, illa mortua, potest contrahere cum Antonia, quæ fuit uxor fratris Bertæ, quia Antonia non est consanguinea Bertæ, sed affinis, & affinitas non generat affinitatem, non obstante *tex. in can. de propinquis. 35. q. 2. & 3.* quia corrigitur per *tex. in cap. non debet. de consangu. & affinit.* quicquid dicat *Doring. l. cit. n. 45. Videas Sanch. lib. 7. de matrim. disp. 67. nu. 2. Bonac. de impedim. matrim. qu. 3. punct. 12. n. 2. & 3.* Similiter non obstat dispositio *tex. in can. si cujus. cum aliis seqq. 35. q. 10.* ubi habetur, quod jure antiquo poterat quis matrimonium contrahere cum liberis illius, quæ ejus patri juncta erat, dummodo dicti filji ante contractionem matrimonij cum tali patre, sint nati, quia non dicebantur nati ex ejus affine; si verò mortuo patre, talis mulier alteri nupsit, & ex illo filios suscepit, tũc nõ poterat cum illis contrahere, quia erant nati ex ejus affine, & ita erant affines secundo genere affinitatis, unde quando mulier ad secundas nuptias convolabat, ex quibus prolem habebat, non poterat dicta proles se copulare cognationi prioris viri, usque ad quartam generationem: nam ista hodie per novum jus correcta sunt, ut dictum est.

Quamvis autem secundum genus affinitatis in consideratione non sit quoad matrimonia, tamen quoad alios effectus civiles talis affinitas non est sublata, & ideo respectu recusationis judicis, qui est effectus civilis, non est sublata dicta affinitas *Sebast.*

Gua-

Guazin. de pace par. 1. q. 66. n. 5. Rouit. in prax. 1. de suspit. official. num. 34 ubi ita judicatum refert, *Sanfelic. tom. 2. dec. 254.*, ubi fuit dictum, quod viri duarum sororum consobrinarum, quia interse sunt affines secundo genere affinitatis, ideò si judex in criminalibus sit inimicus capitalis uni ex dictis viris, poterit etiam ab alio viro recusari.

QVÆRES III.

Quænam sunt nomina Affinium?

QUia affines alij sunt in linea recta ascendentium, vel descendentium, & loco parentum, vel liberorum sunt, & alij in linea collaterali, seù transversali, ut in primo quæsito dictum est, ideo sicut in consanguinitate isti propria nomina habent, ita etiam in affinitate, ut patet ex *l. 4. ff. de grad. affinit.* Nomina autem affinium sunt Socer, Socrus, Gener, Nurus, Noverca, Vitricus, Privignus, Privigna, Levir, Glos, prout habetur in dicta *l. 4. Bonac. de imped. matr. qu. 3. punct. 12. num 4.*

In linea recta affinitatis sunt ista quatuor nomina ascendentium Socer, Socrus, Vitricus, Noverca. In linea recta descendentium sunt ista nomina Gener, Nurus, Privignus. Et tandem in linea collaterali sunt ista nomina, Levir, Glos. *Bonac. loc. cit.* quamvis dentur alia nomina, ut Fratissa, Janitrix.

Socer dicitur Pater uxoris respectu viri, vel pater viri respectu uxoris. *Socrus* dicitur mater uxoris respectu viri, vel mater viri respectu uxoris. *Socer magnus*, vel *Prosocer* est Avus mulieris respectu viri, vel Avus viri respectu mulieris *l. non facile. 4. §. affines sunt. ff. de gradib. affin.* Quamvis *Soceri*, & *Socrus* appellatione Avum quoque, & Aviam uxoris, vel mariti contineri soleat *l. soceri. 146. ff. de verb. signif.* Immo *Socrus* appellatione non tantum mater uxoris continetur, sed etiam Avia, Proavia, & Abavia, sicut *Nurus* appellatione non solum uxor filij, sed etiam Nepotis, Pronepotis, & Abnepotis continetur, *l. adoptivus. 14. §. nunc videamus. ff. de ritu nupt.* licet aliqui ad distinguendas has personas soleāt adjungere præpositionem *Pro* dicendo *Prosocer*, *Prosocrus*, *Pronurus l. cui eorum. §. affinitates*. ibi: *item Pomponius, Nurus, & Generi appellatione, & Soceri, & Socrus, & ulteriores, quibus Pro præposito solet accedere, contineri ait. ff. de postuland. l. adoptivus. 14. §. nurus. ff. de rit.*

vit. nupt. ibi: *Nurus quoque appellatione, non tantum filij uxor, sed & nepotis, & pronepotis continetur, licet quidam has Pronurus appellent*, & *l.* 50. *ff. de verb. signif.* ibi: *Nurus appellatio etiam ad Pronurum, & ultra porrigenda est*. Poteſt itaque Avus mulieris dici *Socer magnus*, *Profocer*, vel *Abſocer:* Avia uxoris dici poteſt. *Profocrus*, *Magnaſocrus*: Proavus uxoris dici poteſt *Majorſocer*, ſicut Proavia *Majorſocrus* dicitur, ut tradit *Calvin.* in ſuo *lexicon* verbo *Soceri nomen*, & in verbo *Affinitatis gradus*, ubi dicit: *nec impedit quicquam, quominus & Adſocer, & Triſocer dicas.*

Gener appellatur vir reſpectu Patris, & Matris mulieris: *Progener* verò dicitur reſpectu Avi, & Aviæ mulieris, quamvis *Generi* appellatione, & neptis, & proneptis tam ex filio, quam ex filia æditarum, ceterarumque maritos contineri. *l. generi appellatione.* 136. *ff. de verb. ſignif.*

Nurus dicitur mulier reſpectu Patris, & Matris viri: *Pronurus* verò dicitur reſpectu Avi, & Aviæ viri *l. non facile.* 4. §. *affines ſunt. ff. de grad. affinit.*

Vitricus dicitur vir reſpectu filiorum ſuæ uxoris, quos ex alio viro genuit. *Noverca* dicitur mulier reſpectu filiorum ſui viri, quos ex alia muliere genuit. *Privigni*, & *Privignæ* dicuntur filij uxoris ex alio viro nati, reſpectu ſecundi viri, vel filij viri ex alia uxore nati, reſpectu ſecundæ uxoris, dicta *l. non facile.* §. *affines ſunt*: immo *Privigni* nomine non ſolum filij uxoris ex alio viro, vel filij viri ex alia uxore continētur ſed etiam Nepotes, & Pronepotes continētur *l. adoptivus.* 14. §. *nurus. ff. de ritu nupt.*

Iſta ſunt nomina affinium in linea recta aſcendentium, & deſcendentium, nec alia nomina in tali ordine dantur. Unde patet, quod vir ſe habet ut deſcendens reſpectu aſcendentium mulieris, ſicut etiam mulier ſe habet ut deſcendens reſpectu aſcendentium viri, & ideo in *l. rei judicatæ.* 16. §. *fin. ff. ſolut. matrim.* dicitur: *Socero quoque, cum quo Nurus de dote agit, idem honor habetur, ut in id damnetur, quod facere poteſt.* cujus ratio redditur in *l. quia.* 17. *ff. cit. tit.* ibi: *quia parentis locum Socer obtinet.*

Cognati impropriè, & æquivocè dicuntur fratres, & ſorores viri reſpectu uxoris, vel fratres, & ſorores uxoris reſpectu viri, quia propriè loquendo uxor reſpectu fratris ſui mariti *Fratiſſa* dicitur *can. quod autem frater.* 35. *q.* 5. & frater mariti reſpectu dict.

uxo-

uxoris *Levir* dicitur *d. can. quod autem frater. l. 4. §. affines sunt. ff. de grad. affinit.* Soror mariti *Glos.* dicitur, duorum fratrum uxores *Janitrices* vocantur, quasi eandem Januam terentes, vel per eandem januam intrantes dicto *can. quod autem frater. dicta l. 4. §. affines sunt* in fine, vel ut dicit *Alciat. lib. 2. dispunct. cap. 23.* & in *l. si super. in gloss. à fratre. C. de transact.* dicuntur *Janeteres, & Fratriæ*: Duarum autem sororum viri, *Aelij* dicuntur *Alciat. in dict. lib. dispunct. Gregor. Rhamnus. de affinit. n. 9.* Vir autem respectu sororis suæ uxoris non habet speciale nomen, sicut nec frater uxoris speciale nomen habet, ut patet ex dicto *can. quod autem frater.* sed *Nonius* dicit, quod mariti soror, sicut etiam fratris uxor *Glos* dicitur: Frater verò uxoris, vel mariti *Levir* appellatur *Ambros. Calep. verbo Levir, & Calvin. in lexic. jur. verbo Affinitatis gradus* dicit: *Nam fratris uxor, me Levirum, sororem meã Glotem: nos illam Fratriam vocamus. Sororis virum Justinus e Trogo Generum dixit: plerique sororium appellant; Sophocles in Oedipo uxoris fratrem vocat Generum.*

QVÆRES IV.

An consanguinitas possit simul cum affinitate concurrere?

AFfirma, sed per accidens, non per se: nam ex copula habita cum sua consanguinea nascitur affinitas cum alijs consanguineis suis; & tunc consanguinitas concurrit cum affinitate, ut probat incestus Lothi. Nec obstat definitio affinitatis, quæ communiter traditur, videlicet quod *affinitas est proximitas personarum ex copula carnali proveniens, omni carens parentela*: nam illa ultima verba *Omni carens parentela* intelligenda sunt in hoc sensu, quod ea ratione, qua est affinitas, non requiritur quod interveniat consanguinitas, alias definitio sustineri non posset, *Navar. de consang. & affinit. consil. 4. nu. 4. Oliver. Textor. de affinit. n. 8.*

QVÆRES V.

An inter virum, & uxorem detur Affinitas?

AFfirmat *Christophor. Porc. in tit. de nupt. §. affinitatis. n. 5. ubi Jas.* idque probat. Primo quia, ille qui per carnalem copulam

lam accedit ad fines alterius, affinis illius dicitur *l. 4. §. affines sunt. ff. de grad. affinit.* Sed vir per copulam accedit ad fines mulieris, & è contra, ergo adinvicem sunt affines. Secundo quia, maritus, & uxor sunt caput, & causa affinitatis *glos. in d. §. affines sunt.* ergo etiam ipsi affines sunt: sicut Princeps, qui est caput familiæ, etiam appellatione familiæ continetur *l. familiæ appellatione. ff. de verb. sign.* Tertio quia, propter quod unumquodque tale, & illud magis *Aristotel. lib. 1. poster. cap. 2. tex. 5. Euerard. in loco à minori. circa medium.* Sed propter virum, & mulierem alii dicuntur affines, ut dictum est, ergò multo magis ipsi sunt affines. Quarto quia, idem judicium fit de causa causante effectum, ac de ipso effectu, *l. quominus. ff. de flumin.* sed copula viri, & mulieris est causa affinitatis, ergò etiam ipsi per talem copulam sunt affines. Et quinto id probatur ex *l. non ideo minus uxor tua jure hæres videtur instituta, quod non uxor, sed affinis testamento nominata est. C. de hæred. instituend.*

Veritas tamen est, quod vir, & mulier ratione commistionis seminis non sunt affines, sed tantùm sunt principium, & causa affinitatis, ut communitèr DD. tenent. Ratio est, quia vir, & mulier per copulam efficiuntur unum, & una caro, *can. fraternitatis. & can. si cujus. 35. quæst. 10.* Sed nemo potest sibimet attinere per affinitatem, quia quælibet attinentia, sive per affinitatem, sive per consãguinitatẽ supponit pluralitatem personarum, & graduum, quæ in uno eodemque dari non possunt. *can. sunt qui dicunt. can. Agatosa, & can. quia Agato. 27. quæst. 2.* ergò vir, & mulier inter se affines non sunt; nam sicut vir non est sibimet affinis, ità nec mulier est ei affinis, alias una, eademque persona, & caro esset ex parte sibi affinis, & ex parte non. Dicuntur tamen vir, & uxor causa affinitatis, inquantum per eorum copulam parentes unius cognationis accedunt ad fines alterius cognationis, *can. de propinquis. 35. qu. 2. & 3.* ibi: *de propinquis, qui ad affinitatem per virum, & uxorem veniunt. Levitic. 18. num. 14.* ibi: *turpitudinem Patrui tui non revelabis, nec accedes ad uxorem ejus, quæ tibi affinitate conjungitur.*

Secundo, quia de jure Canonico gradus affinitatis numerantur habito respectu ad gradus consanguinitatis, itaut, quoto gradu consanguinitatis mihi attinet vir, qui mulierem cognovit, eodem gradu affinitatis mi-

hi attinet mulier à meo consanguineo cognita, & quoto gradu consanguinitatis est mihi mulier cognita, eodem gradu affinitatis est mihi vir illam cognoscens, *cap.1. de consang. & affinit. can. porro de affinitate.35.qu.5.Fontanell.tom.1.dec.12.num.27. Brogn. Cavalc.p.2.dec.12.* Sed inter virum, & mulierem ista numeratio gradus affinitatis fieri non potest, ergò non sunt affines.

Tertio, quia si inter virum, & mulierem oriretur affinitas, sequeretur, quod quis nõ posset cõtrahere cum illa, quam carnalitèr antea cognovit, quod est contra *tex.in cap.significasti de eo,qui dux. in matrim.* Vndè corruit responsio *Porcii*, & *Jason.* dicentium, quod affinitas præcedens impedit matrimonium, non verò subsequens: nam in casu posito, affinitas præcederet. Nec possunt dicere, quod tantùm ex nuptiis causatur affinitas; nam ista sunt vera de jure civili quoad alios effectus, sed non quoad causandum impedimentum matrimonii, ut supra dictum est. Immò affinitas si causaretur inter virum, & uxorem consummato matrimonio, sequeretur, quod non possent deindè petere, & reddere debitum, quia licet affinitas superveniens non dirimat matrimonium, tamen facit, quod non possit peti, & reddi debitum, *cap. discretionem.7.cap. tuæ fraternitatis. de eo qui cogn. consang. uxor. suæ. can. qui dormit. 27.quæst.2. cum aliis concordantibus.*

Tandem, quia etiam jure civili inter virum, & uxorem non ponitur affinitas, nam in *l. non facile.4.§.affines sunt. ff. de grad. affinit.* dicitur, *quod affines sunt viri, & uxoris cognati*, ubi *tex.* non dicit, quod vir, & uxor sunt affines, sed quod cognati uxoris sunt viro affines, & cognati viri sunt uxori affines.

Non nego tamen, quod vir, & uxor possunt esse affines ex alio capite, quàm ex copula habita inter ipsos; nam si vir copulam haberet cum consanguinea uxoris in primo, vel secundo gradu, contraheret cum sua uxore affinitatem; sed hic est alius casus valde diversus à nostro.

Quamvis autem vir, & uxor non sint affines, sed principium affinitatis, tamen multi tenent, quod stante lege municipali, quod affines teneantur compromittere, si occurrat quæstio inter virum, & uxorem, cogi possunt ad compromittendum, per regulam; Propterquod unumquodque tale, & illud magis; nam major est ratio extinguendi lites inter virum, & uxorem, quam

quam inter alios affines, *Bald. in l. affinitatis. C. commun. de succeff.* & refert *Petr. Loriot. in l. 4 ff. de grad. affinit.* dum ponit primam regulam pro affinitate. Oppositum tenent *Præpofit. in arbore affinitatis num. 16.* quem citat, & fequitur *Alex. Carrer. in tract. de fponfal. & matrim. lib. 2. cap. 14.* ex eo quia inter virum, & uxorem propriè non eft affinitas, & ftatuta propriè intelligi debent ex *cap. ftatutum. de elect. in 6. cap. noftra. de injur. & dam. dato*: imò vir, & uxor nec etiam conjuncti dicũtur, ut notat *Gloff. in l. Quintus. ff. de aur. & argent. legat. Cyn. in l. maritus, C. de procurat.* adeoque non compræhenduntur fub ftatuto loquente de affinibus, & Conjunctis. Vtraque opinio probabilis eft, primam tamen amplecterem in judicando, propter rationem pofitam.

Rationes autẽ quę à *Porcio* adducuntur pro firmanda affinitate inter virum, & uxorem, facile folvuntur. Ad primam enim rationem dico, quod tunc accedens per copulam ad fines alterius fit illius affinis, quando accedit mediatè, non verò quando immediatè accedit, ideft, quando accedit mediante copula fui confanguinei. Vndè quando quis immediatè accedit ad aliquam mulierem, illam cognofcendo, non contrahit cum illa affinitatem, fed efficiuntur una caro, ex qua unitate carnis poftea caufatur affinitas inter virum, & confanguineos uxoris, inter uxorem, & confanguineos viri, *can. fraternitatis. 35. qu. 10.* Vel dicimus, quod quando accedit ftipite conftituto, tunc efficitur affinis, fecùs verò quando accedit ad conftituendum ftipitem in affinitate, qui ftipes habetur ex carnali unione viri, & mulieris, *Bonac. de impedim. matrim. qu. 3. pun. 12. nu. 5.*

Ad fecundam rationem, nego confequentiam, nam licet Princeps, & caput familiæ contineatur appellatione familiæ, nunquam tamen familiaris dicitur, quia familiares dicuntur, quibus imperari poteft de jure, vel de facto, *Bald. in cap. ex literis. de teftib. Capell. Tholofan. qu. 4. nu. 5.* ficut nunquam abfolutè de familia dicitur, fed appellatur Pater, vel Mater familias, Dominus familiæ, & in hoc fenfu appellatione familiæ continetur; pro cujus majori intelligentia.

Sciẽdũ eft, quod hoc nomẽ *Familia* plures habet fignificationes nam antiquitus familia dicebatur prima hominum focietas, quafi in diem, & quotidiani ufus caufa conftituta, in qua nulli alii erant, quam vir, & uxor, & ex his

procreati liberi, quia ut dicit Festus, Familia inliberis hominibus dicebatur. Deindè familiæ appellatio fuit variata, nam servi tantùm significabantur per familiam, *l.1.ff. de vi, & vi armat. l. urbana familia.166. ff. de verbor. signif.* Posteà liberi, uxor, & omnes, qui sub unius potestate in eadem domo natura, vel jure vivebant compræhendi cęperũt nomine familiæ, undè Pater familias dictus est, *l. detestatio. §. familiæ appellatione. ff. de verb. signif. l. fin. C. eod. tit.* Et tandem fuit porrecta familiæ significatio ad totam cognationem sanguinis, & ad hæreditatem, quo sensu dicitur *judicium familiæ erciscundæ*, quo mediãte hæredes dividunt hæreditatem, cũ familia pro substantia uniuscuiusque accipiatur, *l. pronunciatio.195. §.1. & seqq. ff. de verb. signif. l. fin. C. eod. tit.*

Cum ergò hoc nomen familia plures habeat significationes, & in jure determinatum sit, quod pater, & princeps familiæ, nomine familiæ contineatur, nil mirum, si ipse nomine familiæ veniat, licet non dicatur familiaris. Cęterum non reperitur in jure, quod vir, & uxor sint affines, immò reperitur oppositum, ut probatum est, & solùm possunt impropriè, & abusivè dici affines, ut tenet *Navar. de consang. & affinit. consil.4. nu.2.* ideò argumentum vim non habet.

Ad tertiam rationem dico, quod illud principium *Propter quod unum quodq; tale, & illud magis* non est universalitèr verum, sed habet multas explicationes, & limitationes, ut videre est apud *Div. Thom. lib.1. poster. lec.6. Conimbric. lib.1. poster. cap.2. tex.5. Raphael. Avers. in logica qu.28. sect.8. Javell. in logica tract.11. de syllogismo demonstrat. cap.2. vers. quantũ ad tertium. Ortiz in logica lib.4. c.8.* undè tũc est verũ tale principiũ, quãdo aliquod est tale, quia aliud est tale, & ideò valet, Proximus diligitur, quia Deus diligitur, ergò magis diligitur Deus; sed non valet, Petrus est albus propter albedinẽ, ergò albedo est magis alba; Petrus ambulat propter sanitatem, ergò sanitas magis ambulat, & sic de cęteris. Requiritur igitur ad veritatẽ dicti principii, quod idem prędicatum cõveniant alicui, ex eo, quia convenit alteri; cum autem affinitas conveniat consanguineis viri, & mulieris, non ex eo, quia talis affinitas cõvenit viro, & mulieri; ideò non valet dicere, quod vir, & mulier sunt magis affines, sicut nec valet dicere, occiditur aggressor propter tuitionem propriæ perso-

sonæ, ergò magis occiditur propria persona: valet tamen dicere, propter copulam viri, & mulieris consanguinei viri uniuntur mulieri, & consanguinei mulieris uniuntur viro, ergò magis uniuntur inter se vir, & mulier, quia vir, & mulier per talem unionem dicuntur una caro, quæ unitas non habetur cum consanguineis viri, vel mulieris, sed solùm habetur unitas affinitatis.

Ad quartam rationem, nego universalitèr majorem; responsio potest desumi ex dictis ad tertiã rationem, nam non est universaliter verum, quod idem judicium fit de causa causante effectum, ac de ipso effectu, cum ex sponsalibus validis oriatur impedimentum publicæ honestatis inter mulierem, & consanguineos viri, inter virum, & consanguineos mulieris, & tamen inter virum, & mulierem non oritur tale impedimentum.

Ad ultimam rationem dico, quod *tex. in l. non ideo minus. 5. C. de hæred. instit.* non est contra nos, sed potius pro nobis, quia in *l. si pater tuus. 4. C. cit. tit. Imperator Gordianus* determinavit, quod institutio facta de aliquo, tanquam de filio, vel fratre, cum talis non sit, pro non facta habetur, & hereditas est in causa intestati, ratione cujus fuit deindè dubitatum, an quando vir, instituendo suam uxorem, illam nominavit affinem, talis hereditas sit in causa intestati, & idem *Imperator in d. l. non ideo minus*, determinavit, quod non vitiatur institutio, licet debuisset illam uxorem, & non affinem nominare, adeoq, *tex.* non ponit, sed tollit affinitatem inter virum, & uxorem.

QUÆRES VI.

Quinam sunt effectus affinitatis?

PLures sunt affinitatis effectus, quorum aliqui sunt de jure Canonico, aliqui de jure civili, quos hic brevitèr enumerabo.

Primus affinitatis effectus est, quod affinitas in primo genere, quando precedit contractionem matrimonii, habet impedire, & dirimere contractionem matrimonii, & sic solvit sponsalia non solum de futuro, *cap. super eo. de eo qui cogn. consang.* sed etiam solvit sponsalia de præsenti. Quando verò affinitas causatur postquam matrimonium fuit contractum, puta, quando quis postquam contraxit matrimonium cum Berta, copulam habuit cum matre, vel so-

sorore, aut filia Bertæ, &c. ratione cujus, affinitatem contraxit cū Berta uxore, tunc talis affinitas superveniens, duplicem effectum parit. Primus est, quod conjux qui commisit incestum cum consanguinea alterius conjugis in primo, vel secundo gradu, privatur jure petendi debitum, *cap. 1. de eo qui cogn. consang. uxor. suæ*; secus tamen est, si copulam habuit cum consanguinea alterius conjugis in tertio, vel quarto gradu, tunc enim non privatur jure petendi debitum, quia ex copula illicita non oritur impedimentum affinitatis, nisi usque ad secundum gradum, ut dictum est ex *Trid. Bonac. de imped. matrim. qu. 3. pun. 12. num. 20.* tenetur tamen iste, qui affinitatem ex copula illicita contraxit, debitū reddere conjugi petenti, *cap. discretionem*, ibi: *Sed nec affinitas, quæ post contractum legitimè matrimonium inter virum, et uxorem iniquè contrahitur, ei debet officere, quæ hujusmodi iniquitatis particeps non existit, cum suo jure non debat sine sua copula privari, cap. tuæ fraternitatis.* 10. *& cap. jordanæ.* 11. *de eo qui cogno. consang. uxor. suæ*. Secundus effectus est, quod conjux nocens, post mortem alterius coniugis, de iure non poterat denuo matrimoniū contrahere, *cap. 1. & 2. de eo qui cogn. consang. uxor. suæ*, *Bonac. loc. cit. Guttier. lib. 1. canonic. qq. cap. 23. num. 7. & seq.* si tamen matrimonium contrahebat, validū erat, sed non poterat petere debitum, tenebatur tamen requisitus reddere, *cap. transmissæ. 4. de eo, qui cogn. consang. uxor. suæ.* videas *Sanch. lib. 7. disp. 15. nu. 1. 7. & 17. & lib 9. disp.* 27. ubi *nu. 5.* dicit, quod hodie, quia hoc impedimentum contraria consuetudine præscripta est sublatum, ideò potest incestuosus matrimonium cantrahere absque dispensatione, sicut etiam absque peccato potest debitum petere.

Quavis autem coniugi incestuoso, ob delictum patratum, sit interdicta petitio debiti, ut dictū est, potest tamen se insinuare uxori, ac se offerre ad usum coniugalem, & ità petere debitum, non in gratiam sui, sed in gratiam uxoris, ne scilicet matrimonium reddatur uxori grave, & onerosum, si contra naturalem verecundiam fęminis insitam, semper teneretur ipsa debitum petere, *Sanch. lib. 9. disp. 7. num* 1. Quod si uterque coniux affinis effectus sit per mutuam copulam cum alterius consanguineis, malitiosè, & animo alterum defraudandi debito coniugali, tunc licet uterq; careat iure petendi debitum, & petendo peccet, tamen

men alteri petenti tenetur reddere *argum. tex. in cap. si vir. de cognat. spirit. Sanch. loc. cit. disp. 28. num. 6.* ubi *num. 5.* dicit, quod si uterque in impedimentum affinitatis incidit, non ex malitia, & animo fraudandi coniugem, tunc neuter potest licitè alteri reddere debitum, cum non reperiatur innocens, qui habeat ius licitè petendi.

Quando affinitas contrahitur à coniuge ante consummationem matrimonii, tunc aliqui dicunt, quod nisi obtineat dispensationē dicti impedimenti, peccat mortalitèr prima vice consummando, & ideò, quando dispensationem non obtinuit, tenetur ingredi religionem, ut evitet debiti redditionem, itá multi relati à *Sanch. lib. 9. de matrim disp. 29. num. 1.* qui tamen *num. 2.* probabilitèr tenet, quod non tenetur ingredi religionem, sed potest matrimonium consummare reddendo, sed non petendo debitum, quia coniux innocens per talem affinitatem non privatur iure suo petendi debitum, *cap. discretionem. cap. penult. de eo qui cogn. consang.* ergò alter coniux tenetur ei reddere, quæ opinio contemnenda non est, ut ex posita ratione patet. Si autem cupis scire, à quo sit concedenda dispensatio, quando primam reciperes sententiam, videas in sequenti quęsito.

Ad hoc ut quis privetur iure petendi debitum ratione affinitatis contractæ, non requiritur aliqua sententia Judicis, sed ipso iure privatus intelligitur; licet enim in aliis pœnis incurrendis requiratur sententia Judicis, tamen in irregularitate, excommunicatione, suspensione, interdicto, & in pœna affinitatis, & cognationis iniquè contractæ, non requiritur talis sententia; quia sic dictæ pœnæ usu receptæ, ac declaratæ sunt, ut probat *Sanch. loc. cit. disp. 30.*

Excusatur tamen à pœna privationis debiti petendi. Primo quando affinitas vi fuit contracta, quia affinitas iniquè contracta, non officit illi coniugi, qui non fuit iniquitatis particeps, *cap. discretionem. de eo qui cogn. consang. uxor. suæ.* Non tamen excusatur à pęna, quamvis fuit contracta affinitas metu gravi cadente in mulierem constantē, quia mulier non est in tali casu immunis à culpa, cum teneatur vitam exponere, & non consentire, ut probat *Sanch. loc cit. disp. 31. num. 3. & 4.* Secundo excusatur à tali pęna quādo adest ignorantia facti, vel iuris, sicut etiam probabile est, quod excusatur quando adest ignorantia ipsius pęnæ: undè si conjux ignorabat spe-

specialiter vetitũ esse accessum ad consanguineos alterius conjugis, (quæ dicitur ignorantia juris) non arcetur à petitione debiti: Similitèr si conjux scit adesse prohibitionem, sed ignorat consanguinitatis gradum illius, cum quo copulam habuit, (hæc est ignorantia facti) non arcetur à debiti petitione, etiam si sit ignorantia crassa, dummodò non sit affectata, nam jura *Scientiam* requirunt, *cap.*1.ibi: *Si quis cum filiastra sua scienter fornicatus fuerit. de eo qui cogn. consang. uxor. suæ*. Et tandem quando coniux notitiam habebat prohibitionis, & consanguinitatis, sed ignorabat pro tali delicto esse inflictam pęnam privationis debiti (hæc dicitur ignorantia solius pęnæ) etiam excusatur à pęna privationis iuris petendi debitum, secundum probabilem sententiam, quamvis contrarium teneat *Sanch.lib.9.disp.32.nu.*43. *& seqq. Guttier.canonic. qq. lib.1. cap.23.num.9.*

Secundus Affinitatis effectus est, quod si affines se invicem commisceant, incestum committunt, ut inferunt *DD. ex cap. 1.de consang. & affinit. can. nullum in utroque, & can. de incestis conjunctionibus. 33. qu. 2. & 3. Farinac.in prax.crim.p.*4. *tit.16. qu.149. num.* 41. quæ autem sit pęna incestus, non satis constat inter *DD.* ut dixi in *prima parte cap.*1.§.*3. disp.* 2. & tradit *David Dorig. in Bibliothec. jure consult. verb.affines. nu.137.& seqq.* de qua re videas citatum Authorem, nam omnium opiniones refert.

Tertius affinitatis effectus est, quod affinis non cogitur esse Advocatus, vel Procurator contra affinem, *l. aut affinitate. ubi Bart. ff. de procurat. Doring.loc. cit.nu.*152.

Quartus effectus affinitatis est, quod affinis pro affine agere valet sine mandato, *l.sed hæ. ff. de procurat.* quod tamen intelligitur de affinibus ascendentibus, non de collateralibus, & ideò qui sororem meam habet, non potest pro me in judicio comparere sine mandato, nisi caveat de rato, vel nisi casus sit specialis, non requirens mandatum, *Chass. ad consuet.Burg.rubr. ae drojects, & appartem* 4.§.5. *nu.* 16. *&* 19. *Inn.in cap.nulli.nu.* 8. *de rescrip. l.sed hæ. & l.Pomponius. in fin. ff. de procurat.Ias.in l. exigendi.C.de procurat.* Limitatur talis effectus in conjunctione illicita, undè filius incestuosus, vel spurius non potest sine mandato pro patre agere, *Ias.loc.cit. nu.*9. ubi alias limitationes ponit, *David. Doring.verb.affines. nu.*152.

Quin.

Quintus effectus est, quod affinis ex licita affinitate non potest esse judex contra affinem, cum suspicio familiaritatis in eum cadat, undè potest à parte adversa recusari, sicut etiam testis affinis non est idoneus, nec regularitèr admittitur, *can. si testes omnes. 4. qu. 2. & 3.* & quando consanguinei, vel affines sunt examinati, non faciunt legitimã, & integram probationem, *Gram. consil. crim. 45. nu. 15. & consil. 58. num. 6.* quia si affinis pro affine, vel consanguineus pro consanguineo testari posset, efficeretur testis in propria causa, quod iure prohibitum est. *Aufrer. de reprob. test. num. 9. Mascard. de probat. lib. 1. concl. 68. & concl. 408. num. 3.* Sed hoc intelligitur in causis criminalibus, *Viv. lib. 3. comm. op. 960. num. 1.* Secus in civilibus, in quibus potest esse testis, licet non integram fidem, & probationem faciat, *Bart. in l. parentes. C. de testib.* sed tantùm faciat aliquod indicium sufficiẽs ad instructionem, vel informationem, *Mascard. de probat. lib. 1. concl. 408 num. 15.* Videas quæ dixi in *parte prima cap. 2. §. 13.* Affines ergò, & consanguinei in criminalibus non solùm non sunt integri testes, sed nec ad instantiam accusatoris, vel Fisci admittuntur ad ferendum testimonium contra accusatũ, *Gram consil. crim. 58. nu. 6. Gabriel. de testib. concl. 13. num. 26.* Videas *David. Doring. in Bibliotheca Jure-consultor. verb. affines. nu. 158.* ubi circa hanc materiam multas ampliationes, & limitationes ponit, inter quas adest, quod dissoluta affinitate, affinis potest esse testis, quia cessat causa affectionis, & sic mortua mea sorore, illius maritus potest esse testis pro me, etiam in causa criminali, *Crot. de testib. p. 3. nu 79.* Similitèr quando affines, vel consanguinei sunt testes instrumentarii, non possunt repelli, sed idonei censentur, quia à partibus sunt approbati, quando partibus notum erat, quod illi testes erant consanguinei, vel affines, quia si id erat ignotum, non censentur approbati, *Alberic. de testib. p. 1. cap. 1. num. 32. Aretin. in l. qui testamento. §. quæcumq; num. 5. ff. de testib. Cæpol. in cautel. 219.* Quamvis autem testes instrumentarii affines, vel consanguinei censeantur approbati, respectu ipsorum contrahentium, non tamẽ cẽsentur approbati respectu Notarii de instrumento rogati, & sic non sunt idonei quando ipse Notarius de falsitate instrumenti accusatur, *Gabriel. de testib. conclus. 14. num. 21. Cæpol. consil. crim. 21. num. 6.* Oppositum tenent

nent: *Alber.de Malef.tract.de testib.p.1.cap.1.Soccin.reg.427.sub 4.fall.* asserentes, affinem testem testamentarium admitti ad favorem testamenti, etiam in casu, in quo illud prætendatur falsum, quæ opiniones à *Farinac. de testib.lib.2.tit.6.qu 54.reg.1.n.43.* hac distinctione conciliantur: nam vel dubitatur de falsitate alicujus partis testamenti, vel instrumenti, & tunc tales testes sunt idonei; vel totum testamentum, aut instrumentum de falsitate redarguitur, ac dicitur, illud nullatenus fuisse celebratum, & tunc non sunt idonei testes, quia suspicio contra instrumentum oritur propter testes affines, vel consanguineos positos; solùm quando affinis, vel consanguineus esset Religiosus, vel laicus notæ, & probatæ fidei, in quo cessaret præsumptio, quod pro conjuncto mentiretur, in nihilo eius fides diminuitur, *Io: Andr. & Io: de Imol.in cap. cum canonicus. de offic.delegat.Crot. de testib. p.3.nu 87.& seq. Farinac. loc. cit. num.48.in fin.*

Sextus effectus affinitatis est, quod potest affinis à magistratu cogi, ut det alimenta pupillo pauperi, *Roland.à Valle consil.45. num.55.vol.1. Rhamn. tr. de affinit.num.46.* sicut etiam deficientibus aliis, qui tenentur petere tutorem ordinari pupillo, ad curam affinium id spectat, *David Doring.verb affines.nu. 168.*

Septimus effectus est, quod affines legitimi cogi possunt ad compromittendum de litibus inter eos, stante statuto id præcipiente, quod statutum etiam procedit inter maritum, & uxorem, qui licet propriè non sint affines, sunt tamen principium, & causa affinitatis, de qua re egi in *prima parte cap. 2.§.10.* Cessat talis effectus. Primo quando quis ageret coram Judice ordinario ex contractu, vel instrumento, aut scriptura iurata, nam propter iuramentum non fit compromissum, *Ias. in l. fratris.C.de transact.* quia petendo compromissum incideret in periurium. Secundo cessat quando affinitas est dissoluta per mortem, nam tunc remanet vinculũ solùm in ordine ad impediendum matrimonium, sed non in ordine ad compromissum petendum, & ideò cessat tale statutum inter privignum, & novercam mortuo patre, quia est dissoluta affinitas *Bald.in l. affinitatis. C. commun.de success.& in tract.de statut. verb. affines.nu.6. Dorig. loc.cit.n.189.* Tertio cessat quando altera pars haberet scripturam publicam liquidam puta, sententiam definitivam transa-

ſactam in rem iudicatam, vel haberet obligationem, vel inſtrumentum publicum guarentigiatum, quod ſecundum formam ſtatuti mereretur exequutionem, ſicut ſententia definitiva, tunc enim affinis nō cogitur compromittere, quia compromiſſum eſt quædam tranſactio, *Auth. ut differentes iudices.* §.1. de re autem certa non poteſt peti tranſactio, & ſic nec compromiſſum. Quarto ceſſat in articulo iuris, quia ubicunque vertitur dubium, quod in mero iure conſiſtit, non debet compromitti, ex quo in iure omnia ſunt certa, & liquida, *Bald. & Salyc. in l. ancillæ. C. de furt. Iaſ. conſ. 26. & 35. vol. 1.* Videas *David. Doring. verb. affines num. 187. & ſeqq.* ubi diſcurrit de cō. promiſſis faciendis inter affines adducēdo omnes ampliationes, & limitationes, & *num. 187. in fin. fallent.* 18. examinat, an Clericus ſub tali ſtatuto compræhendatur, & dicit, quod contra Clericum tale ſtatutum non militat, quia ſtatutum Principis ſecularis, non poteſt ligare Clericos, *Bald. in cap. cum veniſſent. num 6. de eo qui mitt. in poſeſſ. Soccin. conſil. 71. nu. 12. vol 4.* Clericus tamen activè poteſt petere compromiſſum contra laicū cōjunctum, cum gaudeat ſtatutis laicorum pro ſe, ſed non contra ſe, *Abb. & Mod. in cap. Eccleſia S. Mariæ. de conſtitut. ubi Felin. num. 81. Duenn. reg. 36.* Refert tamen *Doring. loc. cit. nu. 191.* quod *Petr. Phil. Corn. conſil. 114.* tenet, quod Clericus litigans cū agnato, vel affine in foro ſeculari, tenetur compromittere, per multas rationes. Prima eſt, quia ſtatuta, & leges reſpicientia ordinatoria fori, ligant etiam non ſubiectos, quouſq; litigant in tali foro, *argum. tex. in l. 3. in fin. ff. de teſtib. in l. 1. C. de emancip. liber. & in l. 2. C. de iuram. calum.* Ergò quando Clericus ligat contra laicum, ſervari debet ſtatutum, & conſuetudo ſecularis, circa iſta ordinatoria, ut eſt ſtatutum de cōpromiſſo faciēdo. Secunda eſt, quia illa ſtatuta laicalia nō ſunt ſervāda à clericis, quę ſunt cōtra libertatem Eccleſiaſticam, vel contra perſonas clericorum, *cap. noverit. de ſent. excomm. Auth. Caſſa. C. de Sacroſ. Eccleſ.* alia verò ſtatuta, ligant etiam Clericos, non ſolùm litigantes in foro Eccleſiaſtico, ſed etiam ſeculari, maximè quando ſtatutum non eſt odioſum; undè *Innoc. in cap. noverit. de ſent. excom. Bart. & Bald. in d. Aut. Caſſa.* dicunt, quod ſtatuta, quæ auferunt Clericis jus commune, non ſunt invalida, tanquam contra libertatem Eccleſiaſticam, ſed illa tantùm,

quæ auferunt privilegia Clericorum, quod eo fortiùs procedit, quando pariter Clericis, & Laicis in commune aufertur. Tertia est, quia licet laici non habeant jurisdictionem in Clericos, nec possint illos directè adstringere eorum statutis, habent tamen jurisdictionem, & potestatem statuendi circa concernentia suum forum, sed Clericus agendo contra laicum sortitur forum secularem, & à Iudice seculari ei assignatur terminus ad probandum, potest moneri, & citari ut respondeat, potest in expensis condemnari, &c. ergò tenetur servare statutum disponens, quod inter consanguineos, & affines possit peti compromissum. Videas *Blanc. in tr. de compromiss. qu. 3. num. 32.* ubi examinat hunc articulum.

Alii effectus affinitatis videri possunt apud *David. Doring. in Bibliotheca Jureconsultorum verbo affines, & affinitas.*

QVÆRES VII.

Quinam dispensare potest in impedimento affinitatis ad petendum debitum inter conjugatos?

Dictum est in præcedēti quęsito, quod si inter conjuges post contractum matrimonium oritur affinitas, non potest incestuosus debitum petere, nisi obtenta dispensatione, quam jure proprio concedit Pontifex, qui tale impedimentum suis legibus ordinavit; ex concessione verò Pontificis, talē dispensationem concedere possunt. Primo Commissarius Bullæ Cruciatæ, ut expresè habetur, & legitur in dicta Bulla Cruciatæ, & tradunt *Tamb. lib. 8. de matrim. tr. 2. de dispensat. cap. 2. Sanch. lib. 8. de matrim. disp. 15. num. 13.* Secundo, Religiosi mendicantes, viri docti, & approbati ab Ordinario ad confessiones, poterant ex commissione Provincialis, vel Generalis dispensare in foro cōscientiæ ad petendum debitum, per declarationem quandam Julii II. circa concessionem factam à Martino V. Monachis Benedictinis, & per aliā Pii V. concessionem, vivæ vocis oraculo factam, quam impetravit Angelus de Aguillara Ordinis Minorum, ut refert *Sanch. loc. cit. disp. 16. nu. 8. Tambur. loc. cit. Dian. tom. 6. tr. 8. miscellan. resol. 32.* ubi dicit, quod olim talem sententiam docuit, & vera erat, sed nunc non est admittenda, quia privilegia illa ad dispensandum concessa Regularibus in nostro casu ex vivæ vocis oraculo fuerunt anno 1631. per

per bullam peculiarē ab Urbano VIII. revocata. Verum *P. Lezana in summa qq. Regular. tom. 3. verb. affinitas n. 4. et 5.* dicit quod hodie non obstante dicta Bulla, possunt Regulares dispensare in tali impedimento, ex quodam privilegio concesso Monachis Monasterii S. Benedicti Congreg. Valli-Soletanæ, dummodò sequentes conditiones concurrant. Prima, quod sit confessarius deputatus ad talem dispensationem faciendam per Superiorem Monasterii, quæ facultas durat, durante superiore, undè illo mortuo, vel amoto, cessat designatio illa. Secunda, quod talis dispensatio concedatur in Sacramento Confessionis, & non extra. Et tertia, quod utantur tali iure dispensandi in domibus, & Ecclesiis Religionis, & non extra, quę requisita non erant necessaria ex privilegio Pii V. & aliorū Pontificum, undè revocatis antiquis privilegiis per bullam Urbani VIII. remanet hoc privilegium, de quo mentionem facit *Lezana*.

Hęc *Lezana* sententia, licet reiiciatur à *Dian. loc. cit. tamen to. 10. tr. 14. & 4. miscell. resol. 20.* se retractat, & dicit, quod in *parte 6.* putavit privilegium Pii V. fuisse per Bullam Urbani VIII. derogatum, tamen quia novissimè *Leand. de Sacram. tom. 2. tr. 9 disp. 24. qu. 16. et Martin. de S. Joseph in man. confessar. tom. 1. lib. 1. tr. 53 de matrim. num. 3.* acritèr contendunt, dictum privilegium Pii nō fuisse ab Urbano VIII. derogatum, ideò etiam ipse talem sententiam, ut probabilem amplectitur: immò refert *Leand. loc. cit. qu. 17. in fin. & Reverendiss. Candidum Sacri Palatii Magistrum tom. 1. disquisit. 27. art. unic. dub. 9. Bordon. in miscellan. decis. 474. Machad. tom. 1. lib. 5. p. 6. tr. 3. docum. 2. nu. 2.* tenentes confessarios regulares approbatos ab Episcopo, iuxtà *Trid.* posse in hoc casu dispensare absque deputatione Provincialis. Verùm si probabilem iudicas opinionem asserentem posse regulares in tali casu dispensare, teneas, quod requiritur deputatio facta à superiore, ut observant PP. Societatis Jesu.

Controversia tamen non levis est de Episcopo, an ipse valeat dispensare ad petendum debitū in casu posito, sed quia expedit controversiam istam examinare, ideò prius aliorum referam placita, deindè quid mihi dicendum videtur ponam.

Prima igitur opinio tenet, quod Episcopus non potest dispensare ut conjux, qui incestuosè consanguineam uxoris suę cognovit, pos-

possit ab eadem uxore, quam dimittere non potest, conjugale debitum exigere, quia sicut impedimentum affinitatis à solo Romano Pontifice tolli potest, ita etiam impedimentum petendi debitum ab affine. Ita *Covarr. in 4. de sponsal. 2. par. cap. 7. §. 2. n. 6. in fin. & alij relati à Sanch. lib. 8. de matrim. disp. 12. n. 9.*

Secunda opinio tenet, quod si crimen incestus est verum crimen incestus, puta, quia commissum fuit cum consanguinea uxoris, tunc Episcopus dispensare non potest, nisi adsit legitima causa: si verò non est propriè crimen incestus, ut puta, quia commissum fuit cum consanguinea sponsę nondum cognitę, tunc Episcopus dispensare potest etiã sine causa. Ita multi cum *Abbat. in cap. 1. de eo qui cogno. consang. uxor. sua*, unde *Divus Antonin. Archiep. Florent. in 3. par. summa tit. 1. cap. 11.* dicit, quod incestuosus juvenis, ante consummatum cum sponsa matrimonium, ad alterum ex duobus tenetur, ut vel impetret dispensationem ab Episcopo, saltem ad exigendum debitum, vel Religionem profiteatur, ne cogatur cohabitare cum uxore, imminente periculo animæ, propter exactionem debiti conjugalis, nec alias erit immunis à peccato mortali. Causæ autem ex quibus Episcopus dispensare valet cum vero incestuoso sunt. Prima si incestuosus sit juvenis, & adsit periculum incontinentiæ ex *can. si duo in fin. 35. q. 6.* Verum tex. iste ad nostrum propositum non facit, quia dicit, quod si consanguinei interse matrimonio copularunt, in gradibus tamen prohibitis, *si tamen se Episcoporum judicio segregaverint, si juvenes sunt, alia matrimonia contrahere non prohibentur*, ubi text. nullatenus dicit, quod causa juventutis potest Episcopus dispensare, ut incestuosus valeat debitũ petere; sed solũ dicit, quod quia pęnitentes non possunt matrimonia contrahere *can. de his vero. 33. qu. 2.* tamen, propter lapsum juvenilis incontinentiæ, non negãtur pœnitẽtibus licita conjugia cũ aliis, *ex can. in adolescentia. can. si quis cũ duabus. & can. antiqui, & sanctissimi. 33. q. 2.* Secunda causa ex qua Episcopus in casu posito dispensare valet est, si non adsit possibilitas adeundi Romam, vel propter incestuosi paupertatem, vel infirmitatẽ, vel viæ lõgitudinẽ, vel ob alia legitima, impedimẽta, ut tenẽt multi *DD.* relati à *Gutt. canon. qq. lib. 1. cap. 23. n. 15.* ubi *n. 16.* refert Sotum asserentem, quod quando incestus est sceleratissimus, puta commissus

cum

cum ſorore uxoris, vel cum Socru, majori cum difficultate, & acerrima injuncta penitentia, diſpenſandum eſt, & ſi poſſibilis ſit acceſſus ad Papam, ad ipſum res ſecreto deferenda eſt.

Verùm hęc ſententia Abbatis, ut ab ipſo explicatur, non videtur admittenda: quia ſi Epiſcopus ſine cauſa poteſt diſpenſare, ut debitum petat inceſtuoſus, qui crimen commiſit cum cōſanguinea ſponſę nondum cognitæ, à fortiori poterit ſine cauſa diſpenſare quando matrimonium eſt jam contractum, & conſummatum, quia matrimonium ratum diſſolvi valet quoad vinculum, per profeſſionē religioſam, etiam altero invito, ſecus verò matrimonium conſummatum, ergo major obligatio eſt in matrimonio conſummato, quam in rato, ergo majori cum ratione poterit Epiſcopus ſine cauſa diſpenſare quando matrimonium eſt conſummatum, quam quando eſt tantum matrimoniū ratum. Unde *Azor.* loquendo de legatis voto caſtitatis dicit, quod religioſi poſſunt diſpenſare ad petendum debitum cum his, qui matrimonium contraxerunt, & conſummarunt, ſecus verò quando matrimonium non eſt conſummatum, quo caſu tenentur ingredi religionem; quamvis *Sanch. lib. 8. diſp. 16. n. 4.* teneat, quod in utroque caſu valeant religioſi diſpēſare; Veritas tamē eſt, quod ante diſpenſationem non poteſt inceſtuoſus in utroque caſu debitum petere, ſed requiſitus tenetur conjugi innocenti reddere *c. diſcretionem tuam. 6. & cap. veniens. 2. de eo qui cogno. cōſang. uxor ſua.*

Mihi tamen dicendum videtur, quod jure Ordinario Epiſcopus talem diſpenſationem concedere non poteſt, quia Innoc. III. & Gregor. IX. requiſiti ab Epiſcopis de tali affinitate contracta poſt matrimonium, reſcripſerunt, quod non petat inceſtuoſus debitum conjugale, ſed requiſitus tenetur reddere *cap. tuæ fraternitatis, & cap. fin. de eo qui cogno. conſang. uxor. ſuæ.* Si ergo Epiſcopus talem facultatem diſpenſandi haberet, fruſtraneus fuiſſet talis recurſus ad Pontificem; nam fruſtra ab alio petitur, quod poteſt per ipſum præſtari *Guttier. de matrim. cap. 123. n. 15.* ubi dicit, quod ita eſt de rigore juris.

Jure tamen conſuetudinario poteſt Epiſcopus diſpenſare in tali pæna, quando affinitas eſt contracta poſt matrimonium, nam paſſim in hoc Epiſcopi diſpenſant *Sanch. lib. 8. de matrim. diſp. 12. n. 13. Laim. lib. 5. tr. 10. par. 2. cap. 1. nu. 15. Guttier. l. cit.*

qui

qui licet dicat, id posse ab Episcopo fieri, etiam si ad quoscunque potentes dispensare sit facillimus aditus, ut etiam tenet *Sanch. lib.8. disp. 12. n. 14.* quia ita est consuetudo præscripta; tamen *Guttier. lib. 1. canonic. qq. cap. 23. n. 27.* dicit, Episcopum posse dispensare ex causa legitima (dispensationes enim non sunt cōcedendæ sine causa *Sanch. loc. cit. disp. 17. n. 4.* quia alias, leges definientes talem pœnam contemnerentur) nempe, propter periculum animæ, aut ex mora, aut propter impossibilitatem, vel difficultatem aditus ad Romam, aut propter paupertatem, aut infirmitatē, aut propter alia impedimenta; quāvis periculū animæ semper adsit, quando sumus in juvene incestuoso cohabitante cum sua conjuge. Unde dicimus, quod quando patet aditus ad Summum Pontificem, vel ad Commissarium Cruciatæ, non potest Episcopus dispensare, ut tenent aliqui relati à *Sanch. l. cit. n. 11. & seq.*

Existente igitur consuetudine legitimè introducta, hoc est scita, vel tolerata à Papa, vel ubi ipso ignorante fuit per tempus quadraginta annorum introducta consuetudo dispensandi cum hujusmodi incestuosis, bene poterit talis incestuosus ex dispensatione ei concessa ab Episcopo, debitum petere *Guttier. loc. cit. n. 19.* ubi dicit, quod Episcopus potest talem facultatem dispensandi concedere Confessario, & *Renzi lib. 1. tr. 5. de Sacram. pœnit. cap. 4. sect. 4. q. 3.* dicit, quod Pœnitētiarius Neapolitanus potest ex facultate delegata dispensare in nostro casu, quia in bulla Pœnitentiarij Neapolitani solum excipiuntur dispensationes in irregularitate, & exceptio firmat regulam in non exceptis, præsertim quia ista potestas delegata latè interpretanda est. Quamvis autem Episcopus jure ordinario, saltem ex consuetudine, dispensare valeat in tali petitione debiti *Laim. lib. 5. tract. 10. par. 2. cap. 1. n. 15.* Vicarius tamē Episcopi dispensare non potest ex generali commissione vicariatus, sed requiritur specialis commissio facta ab Episcopo *Tambur. lib. 8. de matrim. tr. 2. de dispensat. cap. 6.*

Advertas, quod Episcopus in nostro casu dispensans, non dicitur dispensare in affinitate simpliciter, sed solum in affinitate secundum quid, idest nō dispensat ad contrahendum matrimonium cum affine, quod solius Pontificis est, sed dispensat ad usum tantum matrimonij jam contracti, quod non reperitur

Epi-

Episcopis saltem ex consuetudine prohibitum; sicut dispensare potest cum eo, qui post votum castitatis, contraxit matrimoniũ, ut possit ab uxore petere debitum, quia non est absolutè disp ensare in voto castitatis, cum mortua uxore, teneatur tale votum servare, & si ad aliam accedit, mortaliter peccat contra votum; videas quæ dixi in *prim. par. cap. 1. §. 2. disp. 1. q. 8.*

Alia pertinentia ad affinitatem videri possunt in *prim. part. cap. 1. §. 1. disp. 2. & in 3. par.* ubi agemus quomodo sunt computandi gradus affinitatis.

CAPUT SEXTUM

De Cognatione Spirituali.

IN explicatione hujus cognationis, quæ vel ex Baptismo, vel ex Confirmatione nascitur immorandum non est, quia sufficienter de ipsa pertractatum est supra in *prim. par. cap. 1. §. 1. disp. 4.* solùm aliqua ibi non posita, hic examinanda sunt. Unde

QUÆRES I.

An Patrinus debeat esse ætate major Baptizato, vel Confirmato, ut contrahat cognationem spiritualem?

IN hac quæstione tres sententiæ reperiuntur. Prima est Abbatis in *cap. debitum. n. 3. de bapt. & Ludo. Lopez secunda par. instruct. ubi de bapt. cap. 27. §. at nota.* asserentium, quod patrinus debet excedere baptizatum decem, & octo annis; quia patrini sunt parentes spirituales baptizati, ergo requiritur tanta ætas in patrino, ut naturaliter potuisset baptizatum generare, ad similitudinem cognationis legalis, in qua, adoptans debet adoptatum excedere octodecim annis, *§. minorem natu. instit. de adopt.* tenetur enim Patrinus in sui tutelam, & instructionem suscipere baptizatum, & illum ut pedagogum instruere. *Divus Thomas 3. par. q. 67. a. 7. & 8.*, adeoque debet habere tantam ætatem, ut possit illum in fide instruere; Undè *Div. August.* in quodam sermone Paschali, ut habetur in *can. vos ante omnia. 105. de consecrat. dist. 4.* dicit: *Vos ante omnia*

nia tam viros, quàm mulieres, qui filios in baptiſmate ſuſcepiſtis, moneo, ut vos cognoſcatis fidejuſſores apud Deum extitiſſe pro illis, quos viſi eſtis de ſacro fonte ſuſcipere. Secunda ſententia eſt *Anchar. in dict. cap. debitum. n.7.* requirentis in Patrino exceſſum quatuordecim annorum, quia in ea ætate eſt pubes, & poteſt eſſe pater.

Tertia tandem ſententia eſt *Navar. lib.4. conſ.2.3.& 4. de cognat. ſpirit. in ſecunda edit.* quem ſequitur *Sanch. lib.7. de matrim. diſp.61. Dian. par.10. tr.16.& 6. Miſcell. reſol.29. verſic. notandum eſt hic.* aſſerentis, quòd puer cujuſcunque ætatis poteſt eſſe patrinus, & cognationem ſpiritualem contrahere, dummodo habeat uſum rationis, & intendat facere, quod alij patrini faciunt, ſit doli capax, & poſſit peccare, ac ſe voto obligare: quia ſi iſta facere non poteſt, nec etiam contrahit cognationem ſpiritualem; unde *Hippolyt. in l. infans. ff. ad legem Cornel. de ſicar.* teſtatur ſe vidiſſe, & ſcire, quod multi infantes in 6. vel 7. anno plus doli, & malitiæ exercent hodie, quàm olim in 14. & 15. *Divus Gregor. in 4. Dialo. quem refert Divus Thomas in 4. diſt.27.q.2.a.2.* ubi Sotus, aſſerit filium cujuſdam quinquennem, propter blaſphemiam arreptum à diabolo de ulnis patris in gehennam inferni; ergo ſi in tali ætate poteſt habere judicium ſufficiens ad ſe obligandum diabolo, poterit etiam ſe obligare Deo. Videas *Navar. l.cit. conſil. 2. n. 3. & ſeqq. Bonac. de impedim. matrim. q. 3. pun. 5. §.2. n.17. Barboſ. ad Trid. ſeſſ.24. cap 2. de reformat. matrim. n.13.*

Hinc *Sanch. l.cit.* dicit, quod non deſideratur, ut Patrinus ætate excedat baptizatum, nec certa ætas præſcribitur in patrino, ut tale munus poſſit obire, & refert *Divum Thomam*, conſtituentem differentiam inter paternitatem legalem adoptionis, & ſpiritualem Sacramentorum Baptiſmi, & Confirmationis: quia paternitas ſpiritualis eſt quędam regeneratio in Chriſto, in quo non differt maſculus à fœmina, ſervus à libero, juvenis à ſene, & ideo indifferenter poteſt quilibet effici pater ſpiritualis alterius. Paternitas autem legalis tendit ad hæreditatis ſucceſſionem, & ad quàndam ſubjectionem adoptati adoptanti; decet autem antiquiorem juveni ſubdi in cura rei familiaris, & ideo leges petunt adoptantem ſeniorem eſſe adoptato.

Concludimus ergo, quod tàm in baptiſmo, quàm in confirmatione non requiritur Major ætas in Patrino reſpectu baptizati, vel

con-

confirmati, ut tenent *Sanch. l.cit. n.2. Navar. l.cit.* Non tamen mihi videtur decens, quod infãs adhibeatur ut patrinus adulti baptizati; esset enim tunc contra finem, & intentionem Ecclesiæ determinantis adhibitionem patrini in baptismo sollemni, non enim infans potest instruere adultum in fide, docendo orationem Dominicam, symbolum fidei, numerum Sacramentorum, præcepta Decalogi, & Ecclesiæ quod est munus Patrini *can. vos ante omnia. 105. de consecrat. dist.* 4. Unde in 2. Synodo Beneventan. Eminent. Card. Ursini ordinatur; quod Patrinus regularitèr non sit minor decimo sexto anno, & sit ætate major confirmando.

QVÆRES II.

An Religiosi contrahant cognationem spiritualem suscipiendo alios in baptismo, vel confirmatione?

PRohibitum reperitur Monachis & Abbatibus suscipere in baptismo, vel confirmatione *can. placuit. 16. q. 1. can. non licet.* & *can. Monachi. de cõsecrat. dist.* 4. idque sub peccato mortali, *S. Gregor. Pap l. 4. epist. 40.* tamen, si dicti religiosi susciperent in baptismo, vel confirmatione contraherent cognationem spiritualem, quia sunt capaces dictæ cognationis. ità *Sanch. lib. 7. de matri. disp. 60. num. 19. & 21. Bonac. de impedim. matrim. q. 3. pun. 5. §. 2. num. 23.* Est contra *Nugnum 3. p. q. 67. a. 8.* Limitatur tamen, si dicti religiosi ad Episcopalem, vel Cardinalitiam dignitatem promoverētur. *Barbos. ad Trid. sess. 24. cap. 2. de reform. matrim. n. 12. Dian. par. 9. tr. 6. resol. 32. versic. nulla tamen est difficultas.* Quod dictum est de Monachis, dicas etiam de Canonicis regularibus, qui nec etiam possunt esse patrini in baptismo. *Navar. lib. 3. de stat. Monachor consil. 10. & alij relati à Dian. dicta resolut. 32.* ubi habes oppositum tenentes.

Dicit tamen *Coninch. de Sacram. qu. 67. art. 7. n. 56. & Chamerota de Sacram. tr. 2. cap. 4. dub. 8.* quod religiosi Mendicantes possunt esse patrini in Sacramento confirmationis, & baptismi, quia in *can. Monach. de consecrat dist. 4.* sub nomine Monachorum ij tantùm intelligendi sunt, qui solitudinem colunt, non autem religiosi Mendicantes, & Canonici regulares, qui passim cum laicis communicant. Oppositum tenet *Layman in Theol. moral. lib. 5. tr 2. cap. 9. num. 3.* Videas *Dian. par 3. tr. 4. de Sacram. resol. 21. & par. 9. tr. 6. resol. 32.*

nia tam viros, quàm mulieres, qui filios in baptismate suscepistis, moneo, ut vos cognoscatis fidejussores apud Deum extitisse pro illis, quos visi estis de sacro fonte suscipere. Secunda sententia est *Anchar. in dict. cap. debitum. n.7.* requirentis in Patrino excessum quatuordecim annorum, quia in ea ætate est pubes, & potest esse pater.

Tertia tandem sententia est *Navar. lib. 4. consil. 2. 3. & 4. de cognat. spirit. in secunda edit.* quem sequitur *Sanch. lib. 7. de matrim. disp. 61. Dian. par. 10. tr. 16. & 6. Miscell. resol. 29. versic. notandum est hic*. asserentis, quòd puer cujuscunque ætatis potest esse patrinus, & cognationem spiritualem contrahere, dummodo habeat usum rationis, & intendat facere, quod alij patrini faciunt, sit doli capax, & possit peccare, ac se voto obligare: quia si ista facere non potest, nec etiam contrahit cognationem spiritualem; unde *Hippolyt. in l. infans. ff. ad legem Cornel. de sicar.* testatur se vidisse, & scire, quod multi infantes in 6. vel 7. anno plus doli, & malitiæ exercent hodie, quàm olim in 14. & 15. *Divus Gregor. in 4. Dialo. quem refert Divus Thomas in 4. dist. 27. q. 2. a. 2.* ubi Sotus, asserit filium cujusdam quinquennem, propter blasphemiam arreptum à diabolo de ulnis patris in gehennam inferni; ergo si in tali ætate potest habere judicium sufficiens ad se obligandum diabolo, poterit etiam se obligare Deo. Videas *Navar. l. cit. consil. 2. n. 3. & seqq. Bonac. de impedim. matrim. q. 3. pun. 5. §. 2. n. 17. Barbos. ad Trid. sess. 24. cap. 2. de reformat. matrim. n. 13.*

Hinc *Sanch. l. cit.* dicit, quod non desideratur, ut Patrinus ætate excedat baptizatum, nec certa ætas præscribitur in patrino, ut tale munus possit obire, & refert *Divum Thomam*, constituentem differentiam inter paternitatem legalem adoptionis, & spiritualem Sacramentorum Baptismi, & Confirmationis: quia paternitas spiritualis est quædam regeneratio in Christo, in quo non differt masculus à fœmina, servus à libero, juvenis à sene, & ideo indifferenter potest quilibet effici pater spiritualis alterius. Paternitas autem legalis tendit ad hæreditatis successionem, & ad quandam subjectionem adoptati adoptanti; decet autem antiquiorem iuveni subdi in cura rei familiaris, & ideo leges petunt adoptantem seniorem esse adoptato.

Concludimus ergo, quod tàm in baptismo, quàm in confirmatione non requiritur Major ætas in Patrino respectu baptizati, vel con-

confirmati, ut tenent *Sanch. l. cit. n.2. Navar. l. cit.* Non tamen mihi videtur decens, quod infãs adhibeatur ut patrinus adulti baptizati; esset enim tunc contra finem, & intentionem Ecclesiæ determinantis adhibitionem patrini in baptismo sollemni, non enim infans potest instruere adultum in fide, docendo orationem Dominicam, symbolum fidei, numerum Sacramentorum, præcepta Decalogi, & Ecclesiæ quod est munus Patrini *can. vos ante omnia. 105. de consecrat. dist.* 4. Unde in 2. Synodo Beneventan. Eminent. Card. Ursini ordinatur; quod Patrinus regularitèr non sit minor decimo sexto anno, & sit ætate major confirmando.

QVÆRES II.

An Religiosi contrahant cognationem spiritualem suscipiendo alios in baptismo, vel confirmatione?

PRohibitum reperitur Monachis & Abbatibus suscipere in baptismo, vel confirmatione *can. placuit. 16. q. 1. can. non licet.* & *can. Monachi. de cõsecrat. dist.* 4. idque sub peccato mortali, *S. Gregor. Pap l. 4. epist. 40.* tamen, si dicti religiosi susciperent in baptismo, vel confirmatione contraherent cognationem spiritualem, quia sunt capaces dictæ cognationis. ità *Sanch. lib. 7. de matri. disp. 60. num. 19. & 21. Bonac. de impedim. matrim. q. 3. pun. 5. §. 2. num. 23.* Est contra *Nugnum 3. p. q. 67. a. 8.* Limitatur tamen, si dicti religiosi ad Episcopalem, vel Cardinalitiam dignitatem promoverẽtur. *Barbos. ad Trid. sess. 24. cap. 2. de reform. matrim. n. 12. Dian. par. 9. tr. 6. resol. 32. versic. nulla tamen est difficultas.* Quod dictum est de Monachis, dicas etiam de Canonicis regularibus, qui nec etiam possunt esse patrini in baptismo. *Navar. lib. 3. de stat. Monachor consil. 10. & alij relati à Dian. dicta resolut. 32.* ubi habes oppositum tenentes.

Dicit tamen *Coninch. de Sacram. qu. 67. art. 7. n. 56. & Chamerota de Sacram. tr. 2. cap. 4. dub. 8.* quod religiosi Mendicantes possunt esse patrini in Sacramento confirmationis, & baptismi, quia in *can. Monach. de consecrat dist. 4.* sub nomine Monachorum ij tantùm intelligendi sunt, qui solitudinem colunt, non autem religiosi Mendicantes, & Canonici regulares, qui passim cum laicis communicant. Oppositum tenet *Layman in Theol. moral. lib. 5. tr 2. cap. 9. num. 3.* Videas *Dian. par 3. tr. 4. de Sacram. resol. 21. & par. 9. tr. 6. resol. 32.*

nia tam viros, quàm mulieres, qui filios in baptiſmate ſuſcepiſtis, moneo, ut vos cognoſcatis fidejuſſores apud Deum extitiſſe pro illis, quos viſi eſtis de ſacro fonte ſuſcipere. Secunda ſententia eſt *Anchar. in dict. cap. debitum. n.*7. requirentis in Patrino exceſſum quatuordecim annorum, quia in ea ætate eſt pubes, & poteſt eſſe pater.

Tertia tandem ſententia eſt *Navar. lib.*4. *conſ.*2. 3. *&* 4. *de cognat. ſpirit. in ſecunda edit.* quem ſequitur *Sanch. lib.* 7. *de matrim. diſp.*61. *Dian. par.*10. *tr.*16. *&* 6. *Miſcell. reſol.*29. *verſic. notandum eſt hic*. aſſerentis, quòd puer cujuſcunque ætatis poteſt eſſe patrinus, & cognationem ſpiritualem contrahere, dummodo habeat uſum rationis, & intendat facere, quod alij patrini faciunt, ſit doli capax, & poſſit peccare, ac ſe voto obligare: quia ſi iſta facere non poteſt, nec etiam contrahit cognationem ſpiritualem; unde *Hippolyt. in l. infans. ff. ad legem Cornel. de ſicar.* teſtatur ſe vidiſſe, & ſcire, quod multi infantes in 6. vel 7. anno plus doli, & malitiæ exercent hodie, quàm olim in 14. & 15. *Divus Gregor. in* 4. *Dialo. quem refert Divus Thomas in* 4. *diſt.*27. *q.*2. *a.* 2. ubi Sotus, aſſerit filium cujuſdam, quinquennem, propter blaſphemiam arreptum à diabolo de ulnis patris in gehennam inferni; ergo ſi in tali ætate poteſt habere judicium ſufficiens ad ſe obligandum diabolo, poterit etiam ſe obligare Deo. Videas *Navar. l. cit. conſil.* 2. *n.* 3. *& ſeqq. Bonac. de impedim. matrim. q.* 3. *pun.* 5. §.2. *n.*17. *Barboſ. ad Trid. ſeſſ.*24. *cap* 2. *de reformat. matrim. n.*13.

Hinc *Sanch. l. cit.* dicit, quod non deſideratur, ut Patrinus ætate excedat baptizatum, nec certa ætas præſcribitur in patrino, ut tale munus poſſit obire, & refert *Divum Thomam*, conſtituentem differentiam inter paternitatem legalem adoptionis, & ſpiritualem Sacramentorum Baptiſmi, & Confirmationis: quia paternitas ſpiritualis eſt quędam regeneratio in Chriſto, in quo non differt maſculus à fœmina, ſervus à libero, juvenis à ſene, & ideo indifferenter poteſt quilibet effici pater ſpiritualis alterius. Paternitas autem legalis tendit ad hæreditatis ſucceſſionem, & ad quândam ſubjectionem adoptati adoptanti; decet autem antiquiorem iuveni ſubdi in cura rei familiaris, & ideo leges petunt adoptantem ſeniorem eſſe adoptato.

Concludimus ergo, quod tàm in baptiſmo, quàm in confirmatione non requiritur Major ætas in Patrino reſpectu baptizati, vel

con-

confirmati, ut tenent *Sanch. l.cit. n.2. Navar. l.cit.* Non tamen mihi videtur decens, quod infãs adhibeatur ut patrinus adulti baptizati; esset enim tunc contra finem, & intentionem Ecclesiæ determinantis adhibitionem patrini in baptismo sollemni, non enim infans potest instruere adultum in fide, docendo orationem Dominicam, symbolum fidei, numerum Sacramentorum, præcepta Decalogi, & Ecclesiæ quod est munus Patrini *can. vos ante omnia.* 105. *de consecrat. dist.* 4. Unde in 2. Synodo Beneventan. Eminent. Card. Ursini ordinatur; quod Patrinus regularitèr non sit minor decimo sexto anno, & sit ætate major confirmando.

QVÆRES II.

An Religiosi contrahant cognationem spiritualem suscipiendo alios in baptismo, vel confirmatione?

PRohibitum reperitur Monachis & Abbatibus suscipere in baptismo, vel confirmatione *can. placuit.* 16. *q.* 1. *can. non licet.* & *can. Monachi. de cõsecrat. dist.* 4. idque sub peccato mortali, *S. Gregor. Pap l.* 4. *epist.* 40. tamen, si dicti religiosi susciperent in baptismo, vel confirmatione contraherent cognationem spiritualem, quia sunt capaces dictæ cognationis. ità *Sanch. lib.* 7. *de matri. disp.* 60. *num.* 19. *&* 21. *Bonac. de impedim. matrim. q.* 3. *pun.* 5. §. 2. *num.* 23. Est contra *Nugnum* 3. *p. q.* 67. *a.* 8. Limitatur tamen, si dicti religiosi ad Episcopalem, vel Cardinalitiam dignitatem promoverẽtur. *Barbos. ad Trid. sess.* 24. *cap.* 2. *de reform. matrim. n.* 12. *Dian. par.* 9. *tr.* 6. *resol.* 32. *versic. nulla tamen est difficultas.* Quod dictum est de Monachis, dicas etiam de Canonicis regularibus, qui nec etiam possunt esse patrini in baptismo. *Navar. lib.* 3. *de stat. Monachor consil.* 10. *& alij relati à Dian. dicta resolut.* 32. ubi habes oppositum tenentes.

Dicit tamen *Coninch. de Sacram. qu.* 67. *art.* 7. *n.* 56. *& Chamerota de Sacram. tr.* 2. *cap.* 4. *dub.* 8. quod religiosi Mendicantes possunt esse patrini in Sacramento confirmationis, & baptismi, quia in *can. Monach. de consecrat dist.* 4. sub nomine Monachorum ij tantùm intelligendi sunt, qui solitudinem colunt, non autem religiosi Mendicantes, & Canonici regulares, qui passim cum laicis communicant. Oppositum tenet *Layman in Theol. moral. lib.* 5. *tr* 2. *cap.* 9. *num.* 3. Videas *Dian. par* 3. *tr.* 4. *de Sacram. resol.* 21. *& par.* 9. *tr.* 6. *resol.* 32.

nia tam viros, quàm mulieres, qui filios in baptismate suscepistis, moneo, ut vos cognoscatis fidejussores apud Deum extitisse pro illis, quos visi estis de sacro fonte suscipere. Secunda sententia est *Anchar. in dict. cap. debitum. n.7.* requirentis in Patrino excessum quatuordecim annorum, quia in ea ætate est pubes, & potest esse pater.

Tertia tandem sententia est *Navar. lib. 4. cons. 2. 3. & 4. de cognat. spirit. in secunda edit.* quem sequitur *Sanch. lib. 7. de matrim. disp. 61. Dian. par. 10. tr. 16. & 6. Miscell. resol. 29. versic. notandum est hic*. asserentis, quòd puer cujuscunque ætatis potest esse patrinus, & cognationem spiritualem contrahere, dummodo habeat usum rationis, & intendat facere, quod alij patrini faciunt, sit doli capax, & possit peccare, ac se voto obligare: quia si ista facere non potest, nec etiam contrahit cognationem spiritualem; unde *Hippolyt. in l. infans. ff. ad legem Cornel. de sicar.* testatur se vidisse, & scire, quod multi infantes in 6. vel 7. anno plus doli, & malitiæ exercent hodie, quàm olim in 14. & 15. *Divus Gregor. in 4. Dialo. quem refert Divus Thomas in 4. dist. 27. q. 2. a. 2.* ubi Sotus, asserit filium cujusdam quinquennem, propter blasphemiam arreptum à diabolo de ulnis patris in gehennam inferni; ergo si in tali ætate potest habere judicium sufficiens ad se obligandum diabolo, poterit etiam se obligare Deo. Videas *Navar. l. cit. consil. 2. n. 3. & seqq. Bonac. de impedim. matrim. q. 3. pun. 5. §. 2. n. 17. Barbos. ad Trid. sess. 24. cap 2. de reformat. matrim. n. 13.*

Hinc *Sanch. l. cit.* dicit, quod non desideratur, ut Patrinus ætate excedat baptizatum, nec certa ætas præscribitur in patrino, ut tale munus possit obire, & refert *Divum Thomam*, constituentem differentiam inter paternitatem legalem adoptionis, & spiritualem Sacramentorum Baptismi, & Confirmationis: quia paternitas spiritualis est quędam regeneratio in Christo, in quo non differt masculus à fœmina, servus à libero, juvenis à sene, & ideo indifferenter potest quilibet effici pater spiritualis alterius. Paternitas autem legalis tendit ad hæreditatis successionem, & ad quandam subjectionem adoptati adoptanti; dedecet autem antiquiorem iuveni subdi in cura rei familiaris, & ideo leges petunt adoptantem seniorem esse adoptato.

Concludimus ergo, quod tàm in baptismo, quàm in confirmatione non requiritur Major ætas in Patrino respectu baptizati, vel con-

confirmati, ut tenent *Sanch. l. cit. n. 2. Navar. l. cit.* Non tamen mihi videtur decens, quod infãs adhibeatur ut patrinus adulti baptizati; esset enim tunc contra finem, & intentionem Ecclesiæ determinantis adhibitionem patrini in baptismo sollemni, non enim infans potest instruere adultum in fide, docendo orationem Dominicam, symbolum fidei, numerum Sacramentorum, præcepta Decalogi, & Ecclesiæ quod est munus Patrini *can. vos ante omnia. 105. de consecrat. dist.* 4. Unde in 2. Synodo Beneventan. Eminent. Card. Ursini ordinatur; quod Patrinus regularitèr non sit minor decimo sexto anno, & sit ætate major confirmando.

QVÆRES II.

An Religiosi contrahant cognationem spiritualem suscipiendo alios in baptismo, vel confirmatione?

PRohibitum reperitur Monachis & Abbatibus suscipere in baptismo, vel confirmatione *can. placuit. 16. q. 1. can. non licet.* & *can. Monachi. de cõsecrat. dist.* 4. idque sub peccato mortali, *S. Gregor. Pap l. 4. epist. 40.* tamen, si dicti religiosi susciperent in baptismo, vel confirmatione contraherent cognationem spiritualem, quia sunt capaces dictæ cognationis. ità *Sanch. lib. 7. de matri. disp. 60. num. 19. & 21. Bonac. de impedim. matrim. q. 3. pun. 5. §. 2. num. 23.* Est contra *Nugnum 3. p. q. 67. a. 8.* Limitatur tamen, si dicti religiosi ad Episcopalem, vel Cardinalitiam dignitatem promoverẽtur. *Barbos. ad Trid. sess. 24. cap. 2. de reform. matrim. n. 12. Dian. par. 9. tr. 6. resol. 32. versic. nulla tamen est difficultas.* Quod dictum est de Monachis, dicas etiam de Canonicis regularibus, qui nec etiam possunt esse patrini in baptismo. *Navar. lib. 3. de stat. Monachor. consil. 10. & alij relati à Dian. dicta resolut. 32.* ubi habes oppositum tenentes.

Dicit tamen *Coninch. de Sacram. qu. 67. art. 7. n. 56. & Chamerota de Sacram. tr. 2. cap. 4. dub. 8.* quod religiosi Mendicantes possunt esse patrini in Sacramento confirmationis, & baptismi, quia in *can. Monach. de consecrat dist. 4.* sub nomine Monachorum ij tantùm intelligendi sunt, qui solitudinem colunt, non autem religiosi Mendicantes, & Canonici regulares, qui passim cum laicis communicant. Oppositum tenet *Layman in Theol. moral. lib. 5. tr. 2. cap. 9. num. 3.* Videas *Dian. par 3. tr. 4. de Sacram. resol. 21. & par. 9. tr. 6. resol. 32.*

nia tam viros, quàm mulieres, qui filios in baptismate suscepistis, moneo, ut vos cognoscatis fidejussores apud Deum extitisse pro illis, quos visi estis de sacro fonte suscipere. Secunda sententia est *Anchar. in dict. cap. debitum. n.* 7. requirentis in Patrino excessum quatuordecim annorum, quia in ea ætate est pubes, & potest esse pater.

Tertia tandem sententia est *Navar. lib.* 4. *consl.* 2. 3. *&* 4. *de cognat. spirit. in secunda edit.* quem sequitur *Sanch. lib.* 7. *de matrim. disp.* 61. *Dian. par.* 10. *tr.* 16. *&* 6. *Miscell. resol.* 29. *versic. notandum est hic.* asserentis, quòd puer cujuscunque ætatis potest esse patrinus, & cognationem spiritualem contrahere, dummodo habeat usum rationis, & intendat facere, quod alij patrini faciunt, sit doli capax, & possit peccare, ac se voto obligare: quia si ista facere non potest, nec etiam contrahit cognationem spiritualem; unde *Hippolyt. in l. infans. ff. ad legem Cornel. de sicar.* testatur se vidisse, & scire, quod multi infantes in 6. vel 7. anno plus doli, & malitiæ exercent hodie, quàm olim in 14. & 15. *Divus Gregor. in* 4. *Dialo. quem refert Divus Thomas in* 4. *dist.* 27. *q.* 2. *a.* 2. ubi Sotus, asserit filium cujusdam quinquennem, propter blasphemiam arreptum à diabolo de ulnis patris in gehennam inferni; ergo si in tali ætate potest habere judicium sufficiens ad se obligandum diabolo, poterit etiam se obligare Deo. Videas *Navar. l. cit. consil.* 2. *n.* 3. *& seqq. Bonac. de impedim. matrim. q.* 3. *pun.* 5. §. 2. *n.* 17. *Barbos. ad Trid. sess.* 24. *cap* 2. *de reformat. matrim. n.* 13.

Hinc *Sanch. l. cit.* dicit, quod non desideratur, ut Patrinus ætate excedat baptizatum, nec certa ætas præscribitur in patrino, ut tale munus possit obire, & refert *Divum Thomam*, constituentem differentiam inter paternitatem legalem adoptionis, & spiritualem Sacramentorum Baptismi, & Confirmationis: quia paternitas spiritualis est quędam regeneratio in Christo, in quo non differt masculus à fœmina, servus à libero, juvenis à sene, & ideo indifferenter potest quilibet effici pater spiritualis alterius. Paternitas autem legalis tendit ad hæreditatis successionem, & ad quandam subjectionem adoptati adoptanti; dedecet autem antiquiorem iuveni subdi in cura rei familiaris, & ideo leges petunt adoptantem seniorem esse adoptato.

Concludimus ergo, quod tàm in baptismo, quàm in confirmatione non requiritur Major ætas in Patrino respectu baptizati, vel con-

confirmati, ut tenent *Sanch. l. cit. n.2. Navar. l. cit.* Non tamen mihi videtur decens, quod infãs adhibeatur ut patrinus adulti baptizati; esset enim tunc contra finem, & intentionem Ecclesiæ determinantis adhibitionem patrini in baptismo sollemni, non enim infans potest instruere adultum in fide, docendo orationem Dominicam, symbolum fidei, numerum Sacramentorum, præcepta Decalogi, & Ecclesiæ quod est munus Patrini *can. vos ante omnia. 105. de consecrat. dist.* 4. Unde in 2. Synodo Beneventan. Eminent. Card. Ursini ordinatur; quod Patrinus regularitèr non sit minor decimo sexto anno, & sit ætate major confirmando.

QVÆRES II.

An Religiosi contrahant cognationem spiritualem suscipiendo aliqui in baptismo, vel confirmatione?

PRohibitum reperitur Monachis & Abbatibus suscipere in baptismo, vel confirmatione *can. placuit. 16. q. 1. can. non licet.* & *can. Monachi. de cõsecrat. dist.* 4. idque sub peccato mortali, *S. Gregor. Pap l. 4. epist. 40.* tamen, si dicti religiosi susciperent in baptismo, vel confirmatione contraherent cognationem spiritualem, quia sunt capaces dictæ cognationis. ità *Sanch. lib. 7. de matri. disp. 60. num. 19. & 21. Bonac. de impedim. matrim. q. 3. pun. 5. §. 2. num. 23.* Est contra *Nugnum 3. p. q. 67. a. 8.* Limitatur tamen, si dicti religiosi ad Episcopalem, vel Cardinalitiam dignitatem promoverẽtur. *Barbos. ad Trid. sess. 24. cap. 2. de reform. matrim. n. 12. Dian. par. 9. tr. 6. resol. 32. versic. nulla tamen est difficultas.* Quod dictum est de Monachis, dicas etiam de Canonicis regularibus, qui nec etiam possunt esse patrini in baptismo. *Navar. lib. 3. de stat. Monachor consil. 10. & alij relati à Dian. dicta resolut. 32.* ubi habes oppositum tenentes.

Dicit tamen *Coninch. de Sacram. qu. 67. art. 7. n. 56. & Chamerota de Sacram. tr. 2. cap. 4. dub. 8.* quod religiosi Mendicantes possunt esse patrini in Sacramento confirmationis, & baptismi, quia in *can. Monach. de consecrat dist. 4.* sub nomine Monachorum ij tantùm intelligendi sunt, qui solitudinem colunt, non autem religiosi Mendicantes, & Canonici regulares, qui passim cum laicis communicant. Oppositum tenet *Layman in Theol. moral. lib. 5. tr 2. cap. 9. num. 3.* Videas *Dian. par 3. tr. 4. de Sacram. resol. 21. & par. 9. tr. 6. resol. 32.* ubi

ubi inter alios refert *Quintanadvennam* probantem, religiosos omnes tàm mendicantes, quàm non mendicantes, & sanctimoniales posse esse patrinos in baptismo absque licentia, & peccato mortali; immo absque peccato veniali, si aliqua causa existeret, puta si esset petitio, aut devotio parentum baptizandi, ob virtutem, ac egregiam religiosi famam: patriæ usus, sumptuum excusatio: vel si non ità commodè inveniatur alius patrinus prole dignus, vel quid simile. Fatetur tamen citatus Doctor, quod licèt facultas, & licentia Ordinarij, vel Prælati regularis necessaria non sit, nisi in religione prohibitio vigeat, tamen est exposcenda talis licentia, ne Parocho aliquod nocumentum emergat, cui in Rituali, ac sepè ex suæ Diœcesis Synodo indicitur, ne religiosos ad hoc munus admittat, quam licentiam libenter, & absque ullo scrupulo, ex levissima causa possunt Ordinarii, ac Prælati concedere. Ita *Quintanadvennas*. Videas *Dian. dict. re. sol.* 32.

QUÆRES III.

An ad contrahendam cognationem spiritualem requiratur aliqua intentio in patrinis ultrà externam baptizati, vel confirmati susceptionem?

Aliqui ultrà susceptionem exigunt intentionem contrahendę paternitatis spiritualis, quia ex consensu oritur obligatio, & sicut volens vovere, & non obligari, non astringitur (juxtà probabilem sententiam) obligatione voti, ita pariter volens suscipere puerum in baptismo, & nolens astringi vinculo paternitatis, non astringitur; sicut procurator qui nomine alterius tenet in baptismo, non contrahit cognationem spiritualem, defectu intentionis, & tamen verè tenere intendit, ita tres *DD.* relati à *Sanch. lib 7. de matrim. disp. 58. num. 2.* Alij dicunt, quod cō. trahitur cognatio spiritualis etiā si patrini non habeant intentionem illam contrahendi: sufficit enim quod patrini suscipiant, vel teneant puerum, quia quæ sunt ex Ecclesiæ instituto, non pendēt à subditorum intentione; unde sicut affinitas, ex copula carnali absque alia intentione, immo cū violentia extorta, oritur, ita etiā cognatio spiritualis: quam sententiam tenent *Galleg. & Ludov.*

Lop.

Lop. relati à Sanch. l. cit. num. 3.

Dicimus tamen, quod ad contrahendam talem cognationem non requiritur, quod susceptor intendat cognationem contrahere, sed solùm sufficit, quod intendat efficere actum illum suscipiendi, prout ab Ecclesia est institutum; unde qui infantem materialiter suscipit, & non animo obeundi munus susceptoris ab Ecclesia statutum, non contrahit talem cognationem; sicut nec illam contrahit, qui puerum tenet, non tanquam patrinus, sed solum gratia majoris commoditatis, vel ne puer cadat, vel ut patrinum senem adjuvet. *Sanch. dict. disp. 58. n. 4. & seq.*

Hinc resolvitur, quòd si quis per errorem levaret filium Petri, existimando se filium Pauli levare, non contrahit cognationem cum filio Pauli, quem defacto non levavit, contrahit tamen cognationem spiritualem cum filio Petri, quem defacto levavit, nam habuit intentionem levādi puerum illum, quem levavit: quod autem sit filius Petri, & non Pauli per accidens se habet; nec in isto casu error circa personam impedit contractionem cognationis spiritualis, sicut impedit, & dirimit matrimonium: quia matrimonium cum sit contractus, non subsistit quando erratur circa substantiam rei volitæ; at cognatio spiritualis non habet rationē cōtractus, sed posito actu susceptionis pueri cum intentione faciendi illum actū erga illum puerum, prout ab Ecclesia est institutum, statim nascitur talis cognatio, sicut si quis baptizaret filium Petri, putando se filium Pauli baptizare verè esset baptizatus dictus filius Petri, & contraheret cognationem spiritualem cum puero baptizato, patre, & matre illius, ergo idem dicendum in levante de Sacro Fonte. Est contra *Sanch. loc. cit. n. 7.* existimantem verius esse, cognationem non contrahi, quia ad contrahendam talem cognationem requiritur scientia, & animus *cap. 2. de cogn. spirit. ubi Abb. num. 4. & Alex. de Nevo, nu. 6.* in casu autem posito ista desideratur, quia defacto levans non intendebat exercere actionem illam veri patrini erga hunc, quem de facto levavit. Sed hæc ratio ex nostra ratione eliditur, & solum locum habet, quando quis esset talis voluntatis, quod nollet alium in baptismo suscipere nisi filium Pauli, at si haberet voluntatem suscipiendi non ita limitatam, licet in ipso actu susceptionis putaret illum esse filium Pauli, cum revera sit filius Petri, contraheret cognationem cum dicto baptizato.

QVÆ-

QUÆRES IV.

An Universitas, Senatus, &c. possit per Syndicum, vel Procuratorem ad id specialem potestatem habentem, suscipere infantem, ac cognationem spiritualem contrahere?

Certum est, quod Universitas, Senatus, &c. non contrahit talem cognationem, quia persona ficta est; solum dubium esse potest de singulis hominibus dictæ Universitatis, vel Senatus, an ipsi contrahant talem cognationem: & licet *Angelus, & Aufrerius* relati à *Sanch. lib. 7. disp. 59. num.* 7. teneant, quod censetur contracta cognatio, quando talis actus est factus ante contractionem matrimonii, secus verò post, & *Abb. in cap. veniens. nu.* 5. *de cognat. spirit.* affirmet, singulos de illa universitate contrahere cognationem spiritualem, quia dispositio concepta in universitate, quando actus universitati competere nequit, resolvitur in singulos illius universitatis, ne actus pereat, *cap. si sententia. de sent. excomm. in 6.* Tamen *Sanch.* cum aliis tenet, quod nec etiam singuli de universitate contrahunt talem cognationem, quia aliud est Universitas, aliud singuli universitatis. Dicerem tamen ego, quod in tali casu, illi tantum qui sunt de regimine Universitatis, vel Senatus, & mādatum ad suscipiendum dederūt, contrahunt cognationem, non verò alii homines de universitate, quia tantū illi consensum dederunt, juxtà ea, quæ tradit *Bart. in l. aut facta. §. nonnunquā. sub num. 7. ff. de pœnis*; sicut si quis honoris causa relinqueret Rempublicam aliquam tutricem sui filii impuberis, ut factum tradit *Guttier. de tutel. p. 1. c. 17. n. 1.* non essent singuli homines illius Reipublicæ tutores honorarii, sed tantùm illi, per quos Respublica regitur, & repræsentatur. Admissa tamē illorum sententia, qui tenent, per procuratorem talem cognationem spiritualem contrahi non posse, quam veriorem dicit *Petr. Loriot. in l. 4. §. cognationis substantia. ff. de grad. affinit.* absolutè dicendum est, quod nec Universitas, nec singuli homines universitatis talem cognationem contrahunt, quando susceptio fit per Syndicum, vel Procuratorem, quamvis oppositum de Universitate teneat *Loriot. de grad. affinit. axiom. 33.*

QUÆ-

QUÆRES V.

Quinam sunt effectus cognationis spiritualis?

PLures sunt effectus talis cognationis, qui non in succedēdo versantur, sed in reverentia. Primus est nullum reddere matrimonium quando talis cognatio præcedit matrimonii contractionem, *cap. veniens. de cognat. spirit. Trid. sess. 24. cap. 2. de reformat. Sanch. lib. 7. disp. 54. n. 3.* de quo effectu dictum est in *prima parte cap. 1. §. 1. disp. 4.* Si verò cognatio spiritualis superveniat inter conjuges sive ex ignorantia, sive ex malitia, tunc matrimonium non dissolvitur, nec sunt ab invicem separandi, nec alter alteri debitum debet subtrahere, nisi ad continentiam servandam possent induci: quia si ex ignorantia id factum est, eos ignorantia excusare videtur: si ex malitia, eis sua fraus non debet patrocinari, vel dolus; sunt verba *tex. in cap. si vir. 2. de cognat. spirit. ubi gloss. verbo Debitum* dicit, quod ille, qui scienter cognationem spiritualem contraxit post matrimonium, potest ex hoc *text.* reddere, & exigere debitum, sicut ille qui ignoranter cognationem contraxit, quā sententiam sequuntur multi relati à *Sanch. lib. 9. de matrim. disp. 26. nu. 6.* quamvis ipse *num. 7.* oppositam sententiam sustineat, & probabiliorem dicat, non quia in rigore iuris ità est, sed quia talis opinio communitèr à Jurisperitis, & Theologis recipitur, reiecta opinione *Glossæ*, videas ipsum *loc. cit. & num. 8. ac disp. 27.* Secundus effectus talis cognationis est dirimere sponsalia precedentia, nam sponsalia de futuro contracta non pariunt indissolubile vinculum, sicut paritur per matrimonium, *Sanch. lib. 7. disp. 54. num. 5.* Tertius effectus est, quod Pater Spiritualis non potest in ius vocari sine venia; potest recusari ne judicet in causa sui filii spiritualis; non est testis idoneus, & omni exceptione maior: potest accusare, & prosequi iniuriam; & non tenetur, nisi inquantum facere potest, *Surd. de alim. tit. 1. q. 11. num. 11. Petrus Loriot. in l. non facile. 4. §. cognationis substantia. ff. de gradib. affinit.* Quartus effectus est, quod filius spiritualis ita debet diligere Patrem spiritualem, sicut carnalem, immò secundum aliquos, est diligendus, & præferendus patri carnali in exibitione reverentiæ, *Surd. loc. cit. nu. 9.* Quintus effectus est, quod Pater Spiritualis tenetur filium spiritua-

tua-

tualem alere quando talis filius non habet alimenta *Surd. loc.cit. num.5. & num. 25. circa finem*. Sextus effectus est, quod Pater Spiritualis admitti debet post agnatos,& cognatos ad successionē excluso fisco, ut probat *Surd. loc.cit.num. 16. & seqq.* Et septimus effectus est, quia maior iudicatur affinitas spiritualis, quā carnalis, & ideò quotidie Ecclesia dispensat adversùs carnalem cognationem, nunquam dispensat adversùs spiritualem, *Surd. d.q.11.num.13.*

QVÆRES VI.

An Mulier valeat tenere Virum in Sacramento Confirmationis?

DE hoc dubio fui transactis diebus interrogatus, ex eo quia,quædam Nobilis mulier intendebat in Confirmatione tenere puerum, saltem per procuratorem: Breviter dixi, quod de jure communi id non reperitur prohibitum, nam ex *cap.fin. de cognat.spirit. in 6.* & ex *can. non plures.de consecrat.dist.4.*habetur, quod tàm in Sacramento Baptismi, quàm in Sacramento Confirmationis unus vir, vel una mulier admittatur ad tenendum, deinde per *Trid.sess.24. cap.2. de reformat.*fuit ordinatum,quod in Sacramento Baptismi admittatur unus tantùm,sive vir,sive mulier, vel adsummum unus, & una, & in fine dict. *cap.final.& can. non plures*, dicitur, quod in Confirmatione id ipsum fiat, quod in Baptismo;qua ratione multi *DD.* tenent,quod etiam in Confirmatione possunt adhiberi duo patrini, scilicet unus vir, & una mulier, ut etiam dixi in *prima parte cap.1.§.1. disp.4. qu.7. circa finē, videas Barbos. ad Trid. loc.cit. n. 3.* qui licèt oppositum teneat, tamen refert *Tolet.& Sanch.* pro contraria sententia. Cum igitur mulier possit in baptismo tenere infantem, poterit etiam in confirmatione tenere, nisi id aliquo jure Synodali reperiatur prohibitum,ut de facto prohibitum est per Synodum Neapolitanam mei Eminent. Dom. Cardinal. Cantelmi, & Beneventanam, idque ratione decentiæ.

Quamvis unus non possit in Confirmatione tenere ultra duos eadem die, ut habetur in Pontificali, tamen potest Episcopus permittere ut teneat ultra duos stantibus circumstantijs, de quibus *Barbos. l.cit. n. 40.* & in Benevent. Synod. 2. Eminent. Cardinal.Ursini in Appendice ordinatur, quod eadem die, ultra duos, vel tres non teneat.

QVÆ-

QUÆRES VII.

Quinam potest dispensare ad petendum debitum quando cognatio spiritualis est cotracta post matrimonium?

IN hoc quæsito non est immorandum, quia faciunt tradita supra in *cap.5.qu.ultim.*nam quæ dicta sunt de affinitate contracta post matrimonium, dicuntur etiã de cognatione spirituali contracta post matrimonium, ut tradunt *DD.* ibi relati, quibus addo *Squillant. de privileg. Episcopor. p.3.cap.22.num.6.*ubi dicit, quod Episcopus dispensat cum coniuge ad petendum debitum, si contraxit cognationem spiritualem post contractum matrimonium.

Reliqua ad cognationem spiritualem pertinentia habes in *prima parte.cap.1.§.1.disp.4.*

CAPUT SEPTIMUM

De Cognatione Legali.

COgnatio legalis est effectus adoptionis ex qua oritur, sicut ex copula oritur affinitas; undè in præsenti de ipsa adoptione videndum.

Adoptio definitur: *est actus legitimus naturam imitans, quo quis assumitur in liberum alterius: Vel, est actus legitimus, per quem fit filius, aut nepos qui non est, pene naturam imitans, l. adoptionis. ff. de adopt.* Sed *D.Thomas in supplement.3.p.qu.57.ar.1.& in 4. dist.42.qu.2.ar.1.* sic definit: *est extraneæ personæ in filium, vel nepotem, et deinceps legitima assumptio*; quæ definitiones in idem coincidunt, *Sanch.lib.7. de matr. disp.63.nu.1. Guttier. de matrim. cap.102.num.2. videas David. Doring. in Bibliot. Jure consultor. verb. Adoptare num.11.* ubi multorum authorum definitiones ponit de adoptione.

Dicitur *extraneæ personæ*, ad denotandum, quod persona, quæ adoptatur non debet esse sub potestate adoptantis, nec sub illius familia; adoptio enim perfecta ponit adoptatum sub potestate adoptantis, cum prius sub illius potestate non erat, & ideò persona extranea reputabatur, sive talis persona sit consanguinea, sive non; nam etiam filius quando non est sub potestate patris, hæres extraneus dicitur, ad differentiam illius, qui in potestate

morientis est, qui dicitur hæres suus, & necessarius, *Instit. de hæred. qualit. & different.* Quamvis in alio sensu persona extranea, etiam intelligatur illa, quæ non est de ascendenti, aut descenden. ti linea, vel quæ nobis non attinet, in quo sensu intelligitur casus de illo, qui promisit certam pœnam, si rem in manum extraneam alienaret, quæ pœna committitur si alienat extra illos, qui sub eius potestate sunt, vel sibi non attinent, *Angel. Aretin. in §. cęteri. Instit. de hæred. qualit. & differentia*. In præsenti autem, extraneus intelligitur non solùm qui nullo sanguinis vinculo adoptanti iunctus est, sed etiam omnes consanguinei collaterales, vel descendentes, qui sub potestate adoptare volentis non sunt; siquidem adoptio dupliciter fieri potest, scilicet ab extraneo, & ab ascendente; ab extraneo dicitur facta quando fit ab illo, qui vel nullo sanguinis vinculo adoptato iunctus est, vel illius collateralis cōsāguineus est, *Thad. Soac. in ti. de adop. §. adoptio. & §. sed hodie. n. 4.* ab ascendenti dicitur facta, quādo quis adoptatur ab Avo, vel Proavo paterno, aut materno, *Soac. loc. cit. n. 6.* imò si adoptetur à patre: quia filius emancipatus potest à Patre adoptari, *l. 41. ff. de adop.* Sed si semel fuit adoptatus, amplius adoptari non potest ab eodē, *l. qui liberatus. 12. ff. de adop.* quæ limitatio licet reperiatur in dicta lege, tamen neque in pandectis florētinis, neque in manuscriptis reperitur, adduntur tamē ex *l. 37. ff eod.*

Dicitur *in filium*, *vel nepotem*, *vel deinceps*, ad denotandum, quod non potest quis adoptari in fratrem, vel parentem, sed solùm adoptari potest tanquam descendens; adoptio enim fuit à iure civili principalitèr inventa in solatium illorū, qui liberos non habebant, vel si habebant, erant tamen degeneres, improbi, aut debiles, atq; mala valetudine affecti, & hoc ne familiarum dignitas naturalis sobolis penuria periret; qua ratione Aphricanus maior cum filium haberet minus bene valentem, & gignendis liberis parum idoneum, Pauli Æmilii filium adoptavit, qui postmodum ob deletam feliciter Chartaginem Aphricanus minor dictus fuit; similitèr Augustus à Julio Cæsare; Tiberius ab Augusto; Traianus à Nerva; Ælius Adrianus à Trajano; Antoninus ab Adriano, & Justinianus à Justino fuerunt adoptati; vel ut alij dicunt, Scipio Africanus, quia filios præter Corneliam Gracchorum matrem, non habebat,

Pau-

Pauli Æmilij filium adoptavit. Julius Cæsar, cum præter Juliam Pompejo nuptam, liberos nullos à quatuor uxoribus suscepisset, sororis filium Octavium adoptavit, qui & ipse postea, cum liberos præter Juliam, nullos genuisset, Tiberium adoptavit. *Bodin. lib.1. de Republ. cap.* 4. *n.29.* Qui mos adoptãdi antiquissimus est, nam Moyses à filia Pharaonis fuit adoptatus, ut testantur *Sacræ literæ Exod.*2.& Theseus Atenarum Rex ab Ægeo adoptatus fuit; nam antiquis sapientibus talis modus acquirendi liberos necessarius visus fuit, qua ratione *Plato lib.9. de legi.* cõstituit, ut qui plures masculos filios haberet, teneretur omnes præter unũ, quem sibi retineret, civibus, qui non habebant, & id postulantibus tradere.

Dicitur *legitima assumptio*, ad denotandum, quod adoptio est introducta de iure civili: nam licet apud alias gentes etiam usurpata fuit quædam adoptionis ratio; tamen quia peculiarem quãdam, & civilem adoptandi formam Romani habuerũt, meritò adoptio ad jus civile refertur, sicut & patria potestas, & testamenti factio *Vuesembec. in paratit. de adopt. num.* 2. & ideò in adoptione facienda servanda est forma à legibus præscripta; non enim potest quis assumere, idest eligere alium in suum liberum, nisi prout à legibus reperitur definitum, itaut alitèr facta adoptio nullius efficaciç, habetur nisi confirmetur à Principe, *l. adoptio.38. ff. de adop.* pro maiori tamen intelligentia.

QUÆRES I.

Quotuplex est Adoptio?

ADoptio nomen generale est continens sub se duas species, quarum altera simplicitèr Adoptio appellatur, & altera Arrogatio dicitur, *l. 1. ff. de adop.* Simplici adoptione adoptatur qui filius familias est; Arrogatione verò adoptatur, qui sui juris est, *d. l.*1.& arrogatio ita dicitur, quia is qui adoptat rogatur, an velit eum quem adoptaturus est, habere in filium, & is qui adoptatur, rogatur, an velit illum in patrem habere, *l.2. ff. de adopt. Hostien. in summa in Rubric. de cognat. legal. num.6. Cic. in orat. ad Pontific. pro domo sua contra Clod. Sanch. lib.7. de matrim. disput.63. num.2. in fin.* Ex his autem duabus adoptionibus, Arrogatio habet perfectam naturam adoptionis, & ideò adoptio perfecta, etiam appellatur, ad differentiã simplicis adoptionis, quæ ado-

ptio imperfecta dicitur.

Adoptio perfecta, seu arrogatio definitur: *est actus legitimus naturam imitans, quo qui sui juris est transit sub potestate arrogantis authoritate Principis*. Adoptio imperfecta, seu simplex adoptio *est actus legitimus naturam imitans, quo qui sui juris non est assumitur in liberum alterius imperio magistratus, Instit. de adoption. §. adoptio autem. l. 2. ff. de adopt.* Melius, & clarius describitur adoptio hoc modo: *est actus legitimus, coram Iudice, aut legitimo Magistratu celebratus, quo filius familias cum consensu tacito, vel expresso patris sui naturalis, transit in familiam, vel potestatem adoptantis, ut ejus filius efficiatur*. Vel ut dicit *Bechstad. in Coll. Jur. columb. c. 4. §. porrò adoptionis: est actus legitimus, per quem filia, aut filius, qui adhuc in patris naturalis, aut Aui paterni est potestate, cum consensu eorũdem respectivè ab Avo paterno, aut materno, vel extraneo, qui adoptandum octodecim annis praecedit, & ad generandum naturaliter potens est, coram ordinario Iudice, vel Magistratu, in filium cooptatur.*

Antiquitus per Prætorem efficiebatur adoptio, & per Populum arrogatio, *Aul. Gell. lib. 5. cap. 19.* Vndè ad celebrandam adoptionem, pater qui filium in sua potestate habebat, ter illum mancipabat, ideft fictè vendebat, qui deindè à tali emptore vindicabatur apud illum, quem legis actio erat, ideft apud magistratum, & ità pater adoptivus dicebatur. Arrogatio verò alitèr efficiebatur, nam ille, qui sui juris erat, poterat se in alienam potestatem tradere, sed id ne temerè efficeretur proponebatur in Comitiis curiatis, ubi etiam Pontifices, scilicet Senatores, & sacri Magistratus interveniebant; undè talis transitus in alienam familiam per populi rogationem fiebat, & verba rogationis hæc erant: *Velitis jubeatis, uti L. Valerius, L. Titio tam jure legeque filius siet, quam si ex eo patre, matreque familias ejus natus esset: utique ei vitæ, necisque in eum potestas siet, uti pariendo filio est: hoc ita, ut dixi, ita vos Quirites rogo, Aul. Gell. loc. cit.* Quæ populi potestas fuit deinde in Principem translata, & ideo in *l. 2. ff. de adopt.* dicitur, quod *Principis authoritate adoptamus eos, qui sui juris sunt, quæ species adoptionis dicitur arrogatio.*

Erant autem Comitia curiata conventus populi, qui per Lictorẽ curiatim, ideft tributim cogebantur, & ex generibus omniũ suffragium ferebatur, *Aul. Gell. noct.*

noct. atticar. lib. 15. cap. 27. Pupillus autem, & mulier, quæ in potestate parentis erat, arrogari nō poterat, quia tutoribus in pupillos non erat tanta authoritas, & potestas tributa, ut caput liberum fidei suæ commissum, alienæ ditioni subiicerent; cum fœminis verò nulla comitiorum communio erat, *Gell. lib. 5. cap. 19.* de qua ratione infra.

Hoc jus antiquum fuit per novum jus mutatum, nam iste fictæ venditiones, & manumissiones filii non requiruntur, sed pater, qui filium in adoptionem dare vult, scriptura interveniente, id judici insinuare debet præsente filio, qui debet adoptari, & præsente adoptante, *l. fin. C. de adop.* Similitèr nunc loco populi, consensus principis requiritur in arrogatione, *l. 2. C. de adopt.* nec rogatur populus, sed tam is, qui adoptat rogatur, idest interrogatur, an velit eum, quem adoptaturus est, justum sibi filium esse; quam is qui adoptatur rogatur, an id fieri patiatur, *l. 2. ff. de adopt.* Vndè in arrogatione requiritur voluntas arrogatoris, & illius qui debet arrogari: in adoptione verò simplici, quando filius familias à patre familias datur in adoptionem, requiritur voluntas adoptantis, & eius qui adoptatur, saltèm tacita, & voluntas patris sui *l. in adoptionib. 5. ff. de adopt.* nam jure antiquo, etiam per simplicem adoptionē adoptatus transibat ad aliam familiam, & ideo dicto filio dabatur licentia contradicendi, cum invitus non cogebatur ad aliam transire familiam *l. penult. C. de adopt.* quod jus per *Iustin. Imperat. in d. l. penult.* fuit mutatum, & patri naturali jus patriæ potestatis integrum reservando, patri adoptivo id ademit, qua ratione adoptio simplex Imperfecta dicitur; nam patria potestas non transfunditur in adoptantem.

QUÆRES II.

Qui possunt adoptare?

ADoptio in ijs personis locum habet, in quibus, & natura potest habere, *l. adoptio. 16. ff. de adopt.* Vnde illi qui secundum naturam generare nō possunt, nec etiam adoptare valent, qui verò ex accidenti generare non valent, adoptare possunt *l. 2. §. imperio magistratus. ff. de adopt.*, & sic spadones adoptare possunt, quia ex accidenti generare non valent, castrati verò, & frigidi, quia à nativitate dicuntur nati cum impotentia ad generandum, ideo adoptare non valent *dict. §. imperio magi.*

Ira-

stratus, & l. arrogato. 40. §. fin. ff. de adopt. Instit. de adopt. §. sed, & illud. ubi glossa ponit differentiam inter Castratos, & Spadones; sed melius *Anton. August. emendat. lib. 4. Jo: Hennequinus in notis ad Accursium ad l. 2. ff. de adopt.*

Secundo regularitèr arrogare nō potest qui est minor sexaginta annis, quia iste generare, & procreare filios valet, ideo magis procreationi filiorum studere debet, quam ex aliena familia quēquam redigere in suam potestatem *l. si pater familias. 15. §. fin ubi Jas. n. 3. & l. nec ei. 17. §. & primum quidem. ff. de adopt. Aul. Gell. noct. atticar. lib. 5. cap. 19.* ibi *: ætas quoque ejus qui arrogare vult, an liberis potius gignundis idonea sit.* Dixi quod minor sexaginta annis regulariter arrogare non potest, quia id limitatur quando ratione morbi, aut valetudinis, aut alia justa causa filios generare non potest, vel si conjunctam personam vellet arrogare, *l. si paterfamilias. 15. §. fin. ff. de adopt.*

Tertio minor natu majorem adoptare non potest *dict. l. 15. §. fin.* quia adoptio imitatur naturam, & pro monstro est, ut filius major sit, quam pater, ideo qui sibi filium per adoptionem, vel arrogationem facere vult, debet plana pubertate dictum filium præcedere; Idest debet illum octodecim annis præcedere *Instit. de adopt. §. minorem natu. l. arrogato. 40. §. non tantum cum quis adoptat, sed & cum arrogat, major debet esse eo, quem sibi per arrogationem, vel per adoptionem filium facit: & utique plena pubertate, Idest decem, & octo annis eum præcedere debet. ff. de adopt.*

Quarto fœminæ arrogare non possunt, quia nec naturales liberos in sua potestate habent; ex indulgentia tamen Principis, ad solatium filiorum amissorum adoptare possunt *Instit. de adopt. §. fœminæ quoque.* sicut etiam in solatium filiorum amissorum, potest Principis permissu, Privignum suum in vicem legitimæ sobolis obtinere, *l. mulierem. 5. C. de adopt.* Quamvis enim Imperator Leo in sua Novel. 27. omnibus omnino fœminis, etiam virginibus, liberè, & sine Principis indulgentia, adoptandi facultatem concesserit, tamen id jure nostro Iustinianeo prohibetur per cit. *§. fœmina,* non quidem propterea, quod fœmine non liceret in Comitio consistere, ut *Gell.* putat (siquidem adoptiones etiam sine comitijs fiebant *Bodin. lib. 1. de Republ. cap. 4. nu. 29.*) sed potius, quia vitæ ac necis potestas eadē erat

in adoptivos, quæ fuisset in naturales, ac legitimos; sed hoc intelligitur de arrogatione, nam adoptare possunt ex principis permissu, sicut filia Pharaonis Moysen adoptavit in filium Exod. 2. Unde Regina citra rescriptum principis, cui subjecta est, non potest adoptare, ut Ludovicus Dux Andegavensis, quo Regno Neapolitano potiretur, authoritate Pontificis à Regina Joanna (ob impudicitiam Lupa contumeliosè dicta) adoptatus fuit *Bodin. lib.1. de Republ. cap.* 5. *num.30.*

Quinto, nemo potest adoptare libertum alienum patrono nō consentiente *l. si pater familias.* 15. §. *final. in fine*, *ff. de adopt. l.* 1. §. *nepos. ff. si à parente quis manumissus fuerit*; Similiter patronus non potest suum libertum adoptare, nisi aliquam idoneam causam præcibus addiderit, puta quia liberos non habet *l. cum eum.* 3. *C. de adopt.* & quando à patrono adoptatur non fit ingenuus, licet in familia arrogantis ingenuitatis jura consequatur *l. eum qui.* 27. *ff. de stat. homin. l. sciendum.* 32. *ff. de ritu nuptiar.*

Sexto Tutor, vel Curator, qui tutelam, vel curam alicujus administravit, non potest illum arrogare, si minor vigintiquinque annis sit, qui arrogatur, ne fortè ideo cum arroget, ne rationes reddat, vel ex alia turpi causa *l. nec ei.* 17. *ff. de adopt.* si tamen quis sui privigni tutelam habeeret, poterit ex principis rescripto illum adoptare, *l. nonnunquam.* 32. *in fin. ff. de adopt.*

Septimo, qui unum, vel plures liberos naturales, vel adoptivos habet, non potest regulariter alium adoptare, ne aut illorum, quos ex justis nuptijs procreavit, diminuatur spes, quam unusquisque liberorum obsequio parat sibi: aut qui adoptatus est minus percipiat, quàm dignum erat eum consequi; cum causæ tamen cognitione permitti potest ut alium adoptet *l. nec ei.* 17. §. *praterea videndum. ff. de adopt.* Ratio est quia, ut supra dictum est, adoptio fuit à jure civili inventa in solatium illorum, qui filios non habebant, vel si habebant, erant tamen degeneres, improbi, aut debiles, aut mala valetudine affecti, unde non debet quis plures arrogare nisi ex justa causa, *l. si paterfamilias.* 15. §. *fin. in fin. ff. de adopt. Videas Guttier. in repetit.* §. *sui. instit. de hared. qua ab intest. n.*162. *ampliat.* 3. *ubi dicit*, quod aut quis arrogavit sciente Principe, quod arrogator filios naturales habebat, ac confirmante arrogationem, & tunc firma manet arroga-

roga-

rogatio, & talis filius arrogatus succedit simul cum naturalibus. Aut adoptavit, cum haberet filios legitimos, & naturales, & tunc adoptio supervacanea est, & adoptatus non succedit cum eis, quia Judex, cujus decreto facta fuit illa adoptio, non potuit præjudicare filijs natis, poterit tamen pater tali filio adoptato, quintam partem bonorum suorum legare, quam pro anima poterat distribuere. Apud Utopienses verò indistinctè permittebatur adoptio, etiam ijs, qui plures habebant liberos legitimos, & naturales *Thom. Moro. lib. 2. Vtop. Tholos. lib. 10. Syntag. cap. 6. de adopt. num. 10.* Apud illos enim is, qui aliam artem addiscere vellet, quam paternam, dabatur in adoptionem illius familiæ, quæ artem illam exerceret.

Octavo, ille qui filium adoptivum emancipavit, vel in adoptionem dedit, nō potest iterum illum adoptare, *l. adoptare. 37. ff. de adopt. idque odio levitatis.*

Nono, qui est absens neque adoptare, neque arrogare potest, quia solemnitas requisita ad istos actus, non potest per aliū præstari *l. post mortem. 25. §. neque adoptare. ff. de adopt.*

Decimo, Religiosi professi adoptare non possunt, quia propriam voluntatem non habent, & sub potestate Superioris sunt *Angel. Aretin. in titul. de adopt. §. minorem.* Sacerdos verò secularis adoptare, & arrogare potest, quia secundum naturam filios generare valet, & illos in sua potestate habere; immo dico, quod si sit minor sexaginta annis etiam potest arrogare, quia dum est Sacerdos, non potest filios per matrimonium habere; verùm nō unumquemque, sed aliquem de familia sua Sacerdotem adoptare posse tradit *Iust. Mejer. in Colleg. Argent. lib. 7. tit. 7. de de adopt.*

Vndecimo Spurius, vel filius naturalis à patre adoptari non potest *Dec. consil. 289. n. 9. Ludovic. Roman. singul 627. Alexand. consil. 2. num. 16. lib. 1.*, & casus est in *l. legem. C. de natural. liber. ubi dicitur*: injusta libidinum desideria nullam de cætero veniam, nullum arrogationum, vel adoptionum prætextum defendere debere; cum enim de jure prohibitum sit spurium patri succedere omni via, prohibitum etiam est per adoptionis viam ad patris successionem cum admitti. Hæc spurij adoptio nec Principis authoritate fieri valet, ut tradit *Bald. consil. 267. num. 14. vol. 1.* nisi adjecta esset clausula, *de plenitudine potestatis, & ex certa scientia Tusch. concl. 215. verb. Adoptare. num. 5.*

Ex

Ex his infertur, quod omnes alii præter enumeratos adoptare possunt. Vnde non solum extraneus, sed etiam ascendens adoptare potest, & sic pater potest adoptare suum filium emancipatum, ut dictum est, sicut etiam avus qui duos filios habet, & ex uno eorum habet nepotem, si vult nepotem quasi ex altero natum adoptare, poterit hoc efficere, si illum emancipavit, & postea adoptavit, quia tunc avus venit quasi extraneus, & non quasi avus. *l. si paterfamilias. 15. §. qui duos filios. ff. de adopt.* Insuper qui uxores non habent adoptare possunt sibi filios, *l. & qui uxores. 30. ff. de adop.* & cecus etiã adoptare potest *l. etiã cecus. 9. ff. de adop. ubi Bald.* Nec semper requiritur quod adoptans sit ditior adoptato, quia si adoptantis vitæ sobrietas clara sit, vel affectio honesta, nec incognita, permittitur talis adoptio *l. nec ei. 17. §. præterea videndum. in fine, ff. de adopt.*

QVÆRES III.

Qui possunt adoptari? Et in quem adoptari valent.

NOn solum masculi, sed etiã fœminę ex rescripto principis arrogari possunt *l. nam & fœminæ 21. ff. de adopt.* unde paterfamilias potest filiam in adoptionem dare; si verò fœmina sit sui juris non potest arrogari nisi ex rescripto principis, *l. 8. C. de adopt.*, sicut etiam jure antiquo feminæ, quæ in potestate parentum erant, arrogari non poterant *Aul. Gell. lib. 5. cap. 19.* filij familias possunt adoptari adoptione simplici: illi vero qui sui juris sunt arrogari valent, *l. 1. in fin. & l. 2. ff. de adopt.* idque sive sit pubes, sive impubes *l. 2. Cod. de adopt. l. 32. & 33. ff. de adopt. Est contra Sanchez lib. 7. de matrim. disp. 63. n. 2. in fine*, ubi dicit, quod infans adoptari potest, sed non arrogari.

Verum tamen est, quod ille qui tutelam, vel curam alicujus administravit, non potest illum arrogare, si is qui arrogatur sit minor viginti quinque annis, ne forte arrogationem faciat, ne rationes reddat *l. nec ei. 17. ff. de adopt.* posset tamen tutor pupillum arrogare, quãdo est ejus privignus *l. 32. §. 1. ff. de adopt.*, vel ei naturali cognatione cõjũgitur vel sãctissima affectione movetur, aliàs non permittitur arrogatio, ne sit in potestate tutorum, & finire tutelam, & substitutionem à parente factam extinguere *dict. l. nec ei. §. eorum dumtaxat.*

In arrogatione pupillorum plura requiruntur, nam requiri-

tur rescriptum principis, quod impetratur mediante supplicatione, in qua est exprimenda idonea, & honesta causa quare illum arrogare desiderat. Secundo tale rescriptum est præsentandum Præsidi, qui cum magna inquisitione procedere debet, ut concedat arrogationem, nam vocare debet illos qui sanguinis necessitudine pupillo junguntur, ut ipsi apud præsidem dicant, an talis adoptio sit pupillo expediens, *l. 2. Cod. de adopt.* sunt etiam excutiendæ facultates pupulli, & facultates illius qui vult adoptare, ut extimetur ex comparatione earum an salubris adoptio possit pupillo intelligi, quamvis interdum permittatur, ut pauperior, quando est probatæ vitæ, vel honesta affectione movetur, possit arrogare ditiorem; preterea cujus vitæ sit is, qui vult pupillum redigere in suam familiam: deinde cujus ætatis sit adoptans, ut æstimetur an melius sit de liberis procreandis cum cogitare, quam ex aliena familia quemquam redigere in potestatem suam: videndum etiam est an adoptans habet, vel non habet liberos naturales, vel adoptivos, & si habet, videndum est an sit expediens alium adoptare: & tādem arrogans pupillum debet satisdare se restituturum bona ipsa arrogatione finita per mortem impuberis illis, ad quos bona pervenire debent, ut puta substitutis, vel alijs hæredibus, quæ satisdatio si non fuerit apposita, datur eisdem utilis actio contra ipsum arrogantem, *l. nec ei. §. & primum. cum alijs seqq. l. non aliter. l. his verbis. & l. hæc autem satisdatio. ff. de adopt. l. 2. Cod. de adopt. l. causa cognita. 40. ff. de vulg. & pupill.*

Hinc patet quod licet in arrogatione requiratur consensus arrogati, ut dictum est, tamen quia pupillus non potest consensum præbere, sufficit consensus propinquorum pupilli, vel infantis, secundum ea quæ tradita sunt; sed quando ad pubertatem venerit, poterit probare non expedire sibi in potestatem illius esse, & sic petere à judice emancipationem *l. nonnumquam. 32. & l. 33. ff. de adopt.*

Infans potest à patre in adoptionem dari *l. etiam infantem. 42. ff. de adopt.* sed si pater naturalis loqui non possit, alio tamen modo, quam sermone manifestum facere possit, velle se filium suum in adoptionem dare, perinde confirmatur adoptio, ac si jure facta esset *l. si pater. 29. ff. de adopt.*

Non solum potest fieri adoptio loco filiorum, sed etiam lo-

co

co nepotum ; quasi ex filio, vel deinceps natus *l. adoptiones 43. ff. de adopt.* idq; etiam si adoptans filios non habeat; *leg. adoptare 37. ff. de adoption.* sed quando quis adoptatur tanquam ex filio, quẽ habet, natus, requiritur cõsensus filij *leg. cum Nepos. 6. ff. de adopt.* non tamen requiritur consensus illorum quibus adoptatus agnascitur *leg. cum adoptio fit. 7. ff. de adoptionibus.* Quando autem filius consentit dictæ adoptioni nepotis, tunc si filius erat in potestate, talis nepos non agnascitur avo, ut suus hæres, quia post mortem dicti avi remanet sub potestate illius, qui quasi suus pater per adoptionem erat, *leg. si quis nepotem. 10. ff. de adopt.* si verò filius non consensit adoptioni dicti nepotis, tunc mortuo avo, nepos non ponitur sub potestate dicti filii, *l. si is qui filium. ff. de adopt.* In hoc tamen casu est notandum, quod quando quis aliquem loco nepotis adoptavit sine consensu filii, talis adoptio non nocet filio, ut dictum est, quia non fit ei suus hæres, tenet tamen talis adoptio, inquantum filio præmortuo, talis nepos fit suus hæres avo morienti, quia valuit adoptio quantum ad avum *Ant. Faber in Rat. ad dic. l. si is qui filium.* Quod intantum verum est, ut in tali casu nepos ille rumperet testamentum avi si non inveniretur institutus, *Faber in leg. si quis nepotem. ff. de adopt.* videas *Tholos. synt. jur. lib. 10. c. 6. Donell. lib. 2. comment. jur ciuil. cap. 22. de adopt. vers. quarta causa.*

Hinc filius qui ex adoptivo nascitur, nepotis adoptivi locum obtinet, *leg. ex adoptivo. 27. ff. de adopt.* & talis nepos ex filio apud adoptiuum patrem conceptus, & natus, per emancipationem omnia jura perdit *leg. sed & nepos. 14. ff. cit. tit.* quia finita adoptione, finiuntur omnia jura provenientia ex ea, *l. in omni fere. 13. ff. de adopt.*

Aduertas, quod si quis habet filium, & ex illo nepotem in sua potestate, si emancipavit filium, vel in adoptionem alteri dedit, & deinde talem filium readoptavit, mortuo avo nepos in patris non revertitur potestatem, *leg. si pater filium. 41. ff. de adopt.*

Aduertas insuper, quod si quis habens nepotem ex filio, alium loco nepotis adoptavit, non acquiritur inter nepotes jus consanguinitatis, nisi nepos ille fuisset adoptatus, ut etiam jure legis suus esset, quasi ex tali filio natus. *l. si is qui nepotem 44. ff. de adopt.* dummodo consensus dicti filij interveniat in adoptione, ut dictum est ex *l. si quis nepotem. 10. & leg. si is qui filium. 11. ff. de adopt.*

Adoptari potest cæcus, quia iste est capax adoptionis activæ, & passive, *Bald.& Vacca in l. etiam cæcus.9.ff.de adopt.*quamuis enim iste non videat, & sic videtur quod non possit perfectè eligere, & consentire,cum consensus non feratur in incognitum, tamen habet voluntatem, & judicium, & sic potest cōsentire,intelligere, & tam cautè agere, ne fallatur, *Bald.in dicta l.9.*

Adoptari etiam potest Gener à socero, sed in tali casu suadetur socero,ut filiam emancipet, quēadmodum & ei, qui nurum adoptare uult, suadetur, ut filium emancipet.*l.per adoptionem.17.§. p.ff.de rit.nupt. Dauid Doring.in Bibliothec. jure consult.verbo Adoptare.n.25.*

Privignus etiam adoptari valet à suo vitrico,ut ex rescripto *Imp. Titi Antonini refert I C.Papinia. in leg. nonnunquam.32.§ p.ff. de adopt.* ubi adoptio ponitur pro arrogatione, quia privignus dicitur sui juris per mortem patris, & sic arrogari potest. Et quamuis *in l.nec ei 17.ff. de adopt.* dicatur, quod tutor suum pupillum arrogare non potest, tamen id limitatur, quando tutor esset etiam vitricus,nam tunc ex Principis rescripto potest illum arrogare, quia verisimile est, quod sancta affectione id faciat, dicta *leg.nonnunquam,§.p.*ubi **Cuiac.** refert aliquos sibi persuadentes in dicta *l.pro Privignum,* legendum esse *Pupillum.*

Potest Avus adoptare Nepotē ex uno filiorum suorum, quasi natum ex altero,dummodo illum prius emancipet, & postea quasi ex altero natum adoptet, *leg.si paterfamilias.15.§. qui duos.ff. de adopt.*quamuis.*n.*per naturam impossibile sit,quod quis ex duobus filiis eundem habeat nepotem, & adoptio imitetur naturam;tamen in tali casu, avus non adoptat talem nepotem, tanquam avus, sed tanquam quilibet extraneus, & ideo illum prius emancipavit, *Ant.Faber. in Rational. in dicta l. si paterfamilias.§.qui duos.*

Qui vult aliquem in filium, vel nepotē adoptare, requiritur quod valeat talē voluntatem verbis exprimere coram judice, quia licet pater naturalis mutus valeat signis, nutu, vel scriptura manifestare,se velle filium suum alteri in adoptionem dare; adoptans tamen non potest suam voluntatē adoptandi signis,vel nutibus,aut scriptura manifestare, sed necessariò requiruntur verba Primo quia adoptans debet rogare, & interrogare, quod nutu fieri non potest, consensus.*n*.prestari valet sine verbis, petitio verò,& interrogatio sine verbis fieri non valet.

Se-

Secundò, quia voluntas patris dantis in adoptionem est medium sine quo non fieret adoptio; voluntas verò ejus, qui accipit, petitque sibi dari, est principium adoptionis; media autem facilè suppleri possunt a Magistratu, quantum ad solemnitatem, dummodò non desit substantia, quàm principium *Anton. Faber. in Rat. in l. si pater. 29. verbo Pater naturalis. & in l. adoptio. 38. D. de adopt. David Doring. in Biblioth. jureconsult. verbo adoptare. n. 49.*

Adoptio non potest fieri per procuratorem, *Bart. in l. ita aut. §. gessisse. D. de administ: tutor. & in l. post mortem. §. neque. D. de adop.* Verùm si per rescriptum impetretur adoptio, tunc videtur, quod per alium impetrari valet, per *tex. in l. 1. & l. universis. C. de precib. Imperat. offer.* ubi *gloss.* tenet, quod ea, quæ per procuratorem fieri non possunt, valent quando fiunt, si contra non opponatur, *Ludovic. Roman. cons. 215. n. 3. & seqq.* In casu autem posito procurator nō veniret ut procurator, sed ut supplicans, quod fieri potest, *d. l. 1. cum similibus, C. de prec. Imperat. offeren. David Doring. l. cit. n. 42.*

QVÆRES IV.

An in qualibet adoptione tam perfecta, quam simplici Adoptatus ponitur sub potestate adoptantis?

JUre antiquo per quamlibet adoptionem filius familias dicebatur, *gloss. in §. sed bodie. instit. de adopt. David Doring. in Bibliotheca jureconsultor. verb. adoptare n. 12. l. 1. D. de adopt. Gell. l. 5. cap. 19.* Hodie verò ex Justiniani constitutione, quando filius familias a patre naturali, extraneæ personæ in adoptionem datur, quæ dicitur simplex adoptio, jura patris naturalis non dissolvuntur, nec quicquam ad patrem adoptivum transit, nec in potestate ejus est: quando verò pater naturalis dat filium suum in adoptionem avo, vel proavo materno; aut (si ipse pater est emancipatus) dat avo, vel proavo paterno, tunc quia in tali persona ascēdentis concurrunt naturalia, & civilia adoptionis jura, ideò sub potestate dicti patris adoptivi ponitur, *instit. de adoptionib. §. sed bodie. & §. si verò pater naturalis.* Per adoptionem verò perfectam, adoptatus in potestate adoptantis, seu arrogantis ponitur, *l. 2. in fine, l. arrogato. 40. D. de adopt.*

QUÆ.

QUÆRES V.

Coram quo judice fieri potest adoptio?

ADoptio fieri debet coram judice competenti ad actus legitimos *l. 1. & ibi Bald. C. de adopt.* alias si sine judicis decreto, vel magistratus imperio fieret, nullius esset momenti, *Corne. cōsil. 200. n. 13. vol. 1. Card. Paris consil. 16. nu. 20. vol. 2.* qua ratione, si aliquis per instrumentum, vel coram vicinis, aut honestis viris, reciperet aliquem in filium, & hic vicissim illum ut patrem, non censetur adoptio, non inducitur cognatio legalis in ordine ad impediendum matrimonium, nec dicitur acquisivisse jura filij adoptati, & ideo unus alteri ab intestato non succedit, quia non est servata forma adoptionis, quę dat esse rei, *Decian. consil. 120. nu. 13. vol. 3. Iohan. Ferrar. in sua pract. in act. reali in verbo jure dominij. n. 55.* Similiter adoptio non potest fieri coram Notario, nisi etiam sit judex ordinarius, *leg. adoptio.* ubi *Bald. C. de adopt.* ad adoptionem tamen requiritur scriptura, *Glos. & DD. in leg. emancipatione. C. de fid. instrum.* & formula instrumenti adoptionis traditur a *Specul. lib 4 p. 4. de cogn. legal. num. 3. quæ est hæc: Titius volens legitimo actu adoptionis ad solatium eorum invento, qui liberos non habent, filium Caij in filium sibi dari, hæc ab ipso Cajo petiit, qui præsentem, & volentem, filium in præsentia talis judicis, in adoptionem Titio contulit; paternæ tamen potestatis omni jure naturali sibi, & in se integrum reservato, cui quidem legitimo actui auctoritatem præbuit dictus judex. &c.*

Olim quia per Consularem dignitatem filius familias non liberabatur a potestate patris, poterat paterfamilias dictum filium familias consul, vel prætor, apud ipsummet filium emancipare, vel in adoptionem dare, ut est casus expressus in *leg. si consul. 3. ff. de adopt.* hodie verò quia per consularem dignitatem liberatur a potestate patris, *l. final. C. de decurion. lib. 10. Auth. constitutio quæ de dignitatib. §. generaliter.* ideò non potest pater dictum filium in adoptionem dare, Pater verò quando est Consul, vel prætor potest apud se suum filium familias in adoptionem dare, *leg. magistratum. 4. ff. de adopt.* ubi dicitur; quod magistratus apud quē legis actio est, potest & filios suos apud se emancipare, & in adoptionem dare; magistratus autem, apud quem legis actio est, intelligitur ille, qui plenam, & ordinariam jurisdictionē habet, apud quem experiri omnia actione adversus unumquemq; possumus; nec

nec est necesse quod faciat talem actum adoptionis in loco suæ jurisdictionis, quia etiam apud præconsulem in ea provincia, quam sortitus non est, adoptio fieri potest, *leg. emancipari. in fin. ff. de adopt.*

Quamvis autem consul, prætor, vel præses posset apud semetipsum sui emãcipationẽ approbare, sicut etiam quando a suo patre alteri in adoptionem datur, potest talẽ actum approbare, ut dictum est, nunquam tamen permittendum est, quod consul, Prætor, vel præses possit apud semetipsum adoptare aliquem in filium, vel nepotem, quia potest quis se auctore in se statuere; se auctore verò sibi acquirere nemo potest, sicut nec tutor se auctore sibi stipulari valet, *leg. 1. ff. de aut. tutor.* Ratio hujus est, quia si consuli, aut magistratui esset data talis potestas, ut apud semetipsum adoptare posset; facile ipsi erit, in rem suam mẽtiri adoptionem, secundum *Donell. lib. 2. Comm. jure civil. cap. 22. num. 50.* Verùm *Iustus Meier. in Coll. Arg. lib. 7. tit. 7. de adopt.* tenet etiam magistratũ apud se adoptare posse ex *tex. expresso in l. 2. ff. de offic. præsid.*

Adoptio fieri valet coram comite Palatino, si id specialiter ei in diplomate fuerit concessum, sicut etiam legitimatio filii naturalis, etiam ad feuda, coram Comite Palatino, habente in privilegio expressam potestatem legitimandi ad feuda, fieri potest *Paris, consil. 1. n. 76. lib. 2. Jul. Clar. § feudum qu. 82. n. 3.* apud Legatũ verò proconsulis non potest expediri adoptio, quia non habet plenam legis actionem, videas *David. Doring. in Bibliot. jureconsf. verbo adoptare. num. 33.*

Adoptandi mos apud Insubres erat per tonsionem capilli, seù comæ factam per eum, qui adoptaret, *Paul. Diac. lib. 6. de gestis Longobard. c. 15.* & in plerisq; Caroli annalibus sic scriptũ legitur: *ut more Christianorũ fidelium eius capillũ primus attonderat, & pater illi spiritualis existeret, Tholos. syntag. Iuris lib. 10. cap. 6. de adopt.* & alibi per præcisionem barbæ, *Aimonius lib. 1. histor. c. 20. & lib. 4.* A Bellicosis vero gentibus fiebat adoptio per arma, hoc est per traditionem equi, ensis, clypei, &c. ut patet *ex const. Theodorici Goth. Regis Romanorum*, ubi ad Regem Herulorum inter alia sic scribit: *per arma filium fieri posse, grande inter gentes constat esse præconiũ m* & paulò post subjungit: *ideo more gentium, & conditione virili filium te præsenti munere procreamus, ut competenter per arma nascaris, qui bellicosus esse dignosceris, damus quidem tibi equos, enses, clypeos, & reliqua instrumenta bellorum, sed*

qua

quæ sunt omnimodis fortiora, largimur tibi nostra judicia. summus enim inter gentes esse crederis, qui Theodorici sententia comprobaris. sume itaq; arma, mihi, tibiq; profutura: adoptat te talis, de cuius gente tu potius formideris, &c. Cassiodor. lib. 4. variar. c. 2. & lib. 8. c. 1.

Apud Romanos verò olim adoptio fiebat per æs, & libram, venditione imaginaria per tres emancipationes, & duas manumissiones in suis scilicet hæredibus masculis, in fœminis verò, vel nepotibus unica mancipatio erat sufficiens *Faber in Rationali ad l. ait prætor. 2. §. 1. ff. quod cū eo, & t. 1. ad l. 2. in princ. ff. de adop.* Romulus. n. primus Legislator Romanorum non contentus potestatē vitæ, ac necis in liberos dedisse patri, permisit etiam terna venditione filii pecuniam quærere, majorem largitus potestatem patri in filium, quam hero in mancipium: seruus enim semel venditus, deinde libertatē adeptus, sui juris remanet: filius verò a patre venditus, & postea liber factus, rursum sub potestate patris redigebatur, post tertiam verò venditionem a patris potestate eximebatur, quod per *leges 12. tabul.* fuit etiam approbatum; unde veteres Romani volentes habere tutum jus adoptionis, ita permiserunt trinam venditionem, ut ob id patri naturali jus omne revocandi filium in potestatem, adimeretur, *Pandulph. Pratei lib. vet. jurisprud. in leg. 12. tab. cap. 3. Tholosan. lib. 11. syntag. c. 8. de jure, & effect. patr. potest. n. 12. unde Alciat. in l. penult. §. quæ autem de aliis. C. de adoption.* ubi legitur: *Quæ autem de aliis adoptionibus diximus, hæc sancimus etiam de iis, qui ex Sabiniano senatus consulto ex tribus maribus fuerant ab extraneo adoptati*, legendū asserit, *ex tribus manibus*, quia de patris naturalis manu in fiduciarij manū tradebatur, qui de inde in manū, & potestatē adoptivi parentis illū dabat, & ideo in *l. fin. C. cit. t.* dicitur, *quod veteres circuitus in adoptionibus, quæ per tres emancipationes, & duas manumissiones in filiis, aut per unam emancipationem in cæteris liberis fieri solebant, corrigentes, &c.* Sed cōtra Alciatum insurgit *Connan. lib. 2. cap. 15. num. 13.* ubi dicit, quod ibi est legendum *ex tribus maribus*, idem tenet *Gothof. in apost. ad d. §. quæ autem de aliis*, dicens, agi ibi de privilegio eius, qui tres mares liberos suscepit, ut. s. uni dato senatui curiæ liberatio contingeret, & uni in adoptionem dato quarta bonorū adoptionis ex senatus cōsulto Sabiniano deferretur, sicut impuberi arrogato ex constitutione Ant.

Ado-

Adoptiones autem hodie efficiuntur apud magistratū Ratio assignatur a *Bart. & Bald. in l.4.ff.de adopt.* quia in tali actu est a magistratu adhibenda causæ cognitio: sed hæc ratio ab aliquibus nō recipitur, & præsertim a *Io: Hennequino in notis ad Accursium* in dicta, *l. 4.* qui probat, quod adoptio fieri debet coram Magistratu, ut talis actus adoptionis sit testatior, & magis omnibus innotescat, idem dicit de arrogatione, quæ ex indulgētia Principis fit apud Præsidē, vel Prætorem, & rationem assignat, quia ad validitatem adoptionis satis est si inter se consentiant illi, inter quos adoptio contrahitur, & illi qui adoptandos dant, *leg.5. & 6.ff.de adopt.* sicut donationes non alia de causa actis publicis insinuari debent *l. donatio. & leg. data.C. de donat.* Manumissiones servorum, & emācipationes liberorum eodem intuitu apud magistratum fieri debent *leg.1. & fin. C. de emancip.liberor.* sicut etiam in contractione matrimonij ante Trid. satis erat consensus reciprocus contrahentium, sed de facto, præsentia parochi requiritur, ut talis actus sit testatior. Verùm a sentētia *Bartoli, & Bald.* non recedo in arrogationibus, ubi cognitio causę requiritur, *l.si paterfamilias. §.fin.l. nec ei.17.§.& primum. cum alijs seqq.ff.de adopt.* solùm in simplici adoptione posset currere aliorum opinio; unde in arrogatione maior authoritas requiritur quàm in simplici adoptione; Quando arrogatio non est jure facta, potest a Principe confirmari mediante rescripto, quod ęstimationi judicum remittitur, qui debent vocare illos qui contradicunt, idest qui lædūtur in cō. firmatione adoptionis, si aliquod honestum habeāt interesse, quod prætendant, vel non simulata affectione videntur interesse velle, *leg.38.& 39.ff.de adopt.* non tamē est necessaria authoritas eorum, inter quos jura agnationis consequuntur *leg.cum adoptio.7.ff. de adopt.* licet illis fiat etiam cognatus *l. 23. ff. eod.* Hæc confirmatio est facienda a Principe, ad cuius dignitatem pertinet ne quid statuat in alterius iniuriam *l.2.§.meritò.& §.si quis a Principe. ff.ne quid in loco publico, l.nec avus. 4.C.de emancip.* quod faceret, si adoptionem confirmaret non vocatis iis, qui ex ea confirmatione lædi possent. Præterea confirmatio adoptionis est contentiosę jurisdictionis, cum exigat causæ cognitionem, hęc autem plena esse non potest, nisi præsentibus, aut saltem vocatis

L omni-

omnibus, quorum intereſt *Ant. Fab. in ration. ad leg. nam ita. ff. de adopt.* aliud tamen eſt, quando a principio fit adoptio, tũc enim nõ requiritur agnatorum, & cognatorum conſenſus, ſed tantum requiritur conſenſus illorum, qui ex adoptione ſuum hæredem ſunt habituri, puta ſi quis adoptaret aliquem in nepotem, vel quaſi ex filio, quem habet iam adoptatum, vel quaſi ex illo, quẽ naturaliter in ſua poteſtate habet, nam tunc dictus filius conſentire debet, ne ei adnaſcatur ſuus hæres ipſo invito *inſtit. de adopt.* §. *ſed ſi quis*; in alio verò caſu, conſenſus venientium ab inteſtato non requiritur in adoptione, quia iſti tempore adoptionis nullum ius habent in bonis adoptantis, & ita non læduntur, cum poſſit adoptans bona ſua in mare proijcere, ergo multo magis per actum civilem poteſt bona ſua ijs, quibus de neceſſitate non debentur auferre, & in alium transferre, ſi tamen adoptio de iure non teneat, & pater inſtituat talem filium adoptivum, vitiatur inſtitutio *Franc. Marc. deciſ. 883.*

QVÆRES VI.

Quare ad ſimplicem adoptionem ſufficit imperium magiſtratus, & ad arrogationem requiritur authoritas Principis?

In arrogatione Principis authoritas dupliciter intervenire poteſt, vel quia ipſe examinat, & cognoſcit cauſas, vel quia per reſcriptũ arrogandi facultatẽ concedit, & cognitionem, ac examinationẽ dicti actus alteri iudici ordinario committit, *l. 39. ff. de adopt. Piſo. Soac. in* §. *cum autem impubes. n. p. Inſtit. de adopt.*

Rationes autem quare arrogatio eſt facienda authoritate Principis, & ſic cum maiori ſolemnitate, ſimplex verò adoptio fieri poteſt coram quovis Magiſtratu, apud quem eſt plena iuris actio, iſtæ aſſignantur. Prima, quia ubi maius eſt periculum, ibi cautius eſt agendum, *cap. ubi periculum. de elect. in 6.* ſed in arrogatione verſatur maius præiudicium, cum arrogatus, qui eſt ſui iuris, tranſeat in poteſtatem arrogãtis cũ omnibus ſuis bonis, quod non eſt in adoptivo, qui poteſtati patris naturalis adhuc ſubiectus remanet, *Inſt. de adopt.* §. *ſed hodie* ideo cautius in arrogatione procedendũ. Secunda ratio

eſt,

est quia in adoptione adest bonũ consiliũ patris, quo providetur filio, nam pater dat filium in adoptionem: lex autem contenta est de tali consilio patris, ideo contenta est sola authoritate magistratus: in arrogatione verò tale consilium patris non adest, quia arrogatur ille qui sui iuris est, & ex eius voluntate fit arrogatio, *l. in adoptionibus 5. ff. de adopt.* ideo maior solemnitas exigitur. Tertia ratio est, quia in habentibus symbolum, vel similitudinem facilis est transitus, cum ergo ille dicatur adoptari, qui est in potestate patris naturalis, & transire de eius potestate, in potestatem patris adoptantis, & sic de una potestate in aliam, habeat similitudinem, ideo facilis est transitus. Cæterum in arrogatione qui est sui iuris trãsit in potestatem arrogatoris, & sic de libero fit servus, ideo maior solemnitas requiritur.

Ex istis rationibus secundam tantum admittit, *Ias. in leg. si arrogator. sub nu. 2. ff. de adopt.* nam prima ratio non potest locum habere jure Digestor. quia tali jure adoptatus, vel arrogatus transibat in potestatẽ adoptantis, vel arrogantis, & tamen tali jure arrogatio non poterat fieri, nisi authoritate solius Principis, & adoptio authoritate cuiuslibet magistratus: Tertia ratio nec etiã valet, quia facilius est, quem fieri monachum, & sic de homine sui juris trãsire in potestatem, quã de uno monasterio trãsire ad aliud, & sic de una potestate ad aliam. præterea per simplicẽ adoptionẽ nõ tollitur à potestate patris naturalis, & sic non transit ad adoptiuum.

QVÆRES VII.

Quinam sunt effectus Arrogationis, & Adoptionis?

Plures numerantur arrogationis effectus. Primus, & præcipuus illius effectus est, quod arrogatus transit in familiam, & potestatem arrogatoris una cum omnibus suis liberis, quos in sua potestate habet, sive sint legitimi, & naturales, sive arrogati, qui loco nepotum habentur, *l. 2. § fin. l. si pater familias. 15. l. arrogato. 40. ff. de adopt. Instit. de adopt. §. illud proprium,* ubi etiam ponitur exemplum de Imperatore Augusto, qui non antea Tyberium adoptavit, quam is Germanicum adoptasset, ut protinus adoptione facta inciperet Germanicus Augusti nepos esse. Vnde illi qui postliminio redeunt, vel qui in utero fuerunt cum eorum pater arrogaretur, simili modo in potestatem arrogatoris rediguntur dicta *leg. si paterfamilias 15.* Secundus effectus, qui ex jam posito

sito nascitur, est quod omnia bona dicti arrogati, tam quę habuit, quam quę acquirit post, tacito iure transeunt in patrem arrogantē, *leg. si paterfamilias. 15. ff. de adopt.* sed hoc intelligitur eodē prorsus modo quo de filiofamilias dicitur respectu sui patris familias legitimi, & naturalis, nam in peculio Castrensi, vel quasi, pater nihilhabet; in peculio adventitio, pater habet tantum usūfructum, in peculio verò profectitio, pater plenum ius habet; Ratio est quia in plurimis is qui arrogatur assimilatur ei qui ex legitimo matrimonio natus est. *Instit. de adopt. §. in plurimis autē.* Solùm quādo arrogatur impubes, vel pupillus debet arrogator cauere, & fideiussionē dare, quod si pupillus intra pupillarem ætatem decesserit, ipse restituet illis, qui si adoptio facta nō esset, ad successionem pupilli venturi essent, quicquid de patrimonio pupilli arrogati ad eum pervenit ratione dictę arrogationis *leg. impuberum. 2. C. de adoption.* transacta tamen tali ętate impuberi, cessat fideiussio, quia *tex. ult.* quod si intra pubertatē decesserit, teneatur restituere dicta bona *Inst. de adopt. §. cum autem impubes.* Quamvis autem per arrogationē transferantur in arrogantē omnia jura arrogati, non tamen transferuntur jura generis, & sanguinis naturalia, & ideo, quæ adoptato competunt tanquam de certo genere, non transeunt *Thusc. to. p. verb. Adoptivi. concl. 216. n. 14.*

Advertas, quod licet filius arrogatus patri acquirat, ut dictum est, tamen si arrogatio non fuit jure facta, licet iusto errore ductus existimem d. arrogatum esse meum filiū, tamen ex re mea mihi non acquirit, quamvis aliud sit in libero homine, qui bona fide servit; & ratio diversitatis est, quia assiduè comparantur servi, & ideo bona fides, & ignorantia juuat, at nō tā facilis, & frequēs est arrogatio filiorū, ita expresse habetur in *l. iusto errore ductus. 44. ff. de usuca.*

Tertius effectus est, quod arrogator succedit filio arrogato ab intestato *Inst. de acquisi. per arrogat.* Sicut e cōtra filius succedit patri arroganti ab intestato cum ceteris filijs æqualiter *l. penult. & fin.* ubi *DD. C. de adopt.* Et excludit ascendentes, & uxorem *Surd. de alim. tit. 2. qu. 15. num. 40.* imo quando in testamento est preteritus, vel sine causa exhæredatus, nō solū sunt ei restituēda omnia bona sua, quæ ad arrogatorem transtulit, sed etiam est ei danda quarta pars bonorum arrogatoris *Instit. de adopt. §. item non aliter.* Dubium tamen faciūt *DD.* an ei debeaturquarta omniū bo-

bonorum, an verò quarta illius portionis, quæ ei ab intestato debetur, de qua re egimus in prima parte *c.2.§.2.disp.1.q.5.*per tractant *Marinus Montan. in tract.de hæredib.ab intest.venient. agendo de success. legitimorum nu. 7.in fine*, ubi dicit, quod non est quarta bonorũ, sed illius portionis, quã arrogatus habere debebat, alias si plures naturales legitimos haberet arrogator, sequeretur illos minus habituros fore, quod non est dicendum, *Piso Soacius in tit. de adopt. §. cum autem impubes.num.* 4. ubi etiam tradit quod, filius arrogatus non habet quærelam inofficiosi testamenti contra testamentum ipsius arrogatoris, quia pro consequenda quarta datur ei conditio ex, *leg. Divi Pÿ*, & quando quis ad defuncti bona alio jure venire potest, cessat quærela inofficiosi testamenti *Instit.de inoffic. testam. §. tam autem naturales.idem tradit Angel.Aret. in dicto §.tam autem naturales.* Verũ dicimus, quod arrogato competit quærela inofficiosi, ut etiam tradit *Ill. Verde in tit. de inoffic. test.n.1772.Surd.loc.cit. sub n.40.* sicut quando adoptio fit post conditum testamentum, quia per adoptionem quasi suus hæres testatori agnascitur, si fuerit præteritus, rumpit testamentum §.1.*Instit. quib.mod.testam.infir. David. Doring. in Biblioth. jureconsult.verb.adoptare.n.76.* Nec obstat *tex.in leg. Papinianus.8.§. siquis impubes arrogatus.ff.de inoffic.testam.quia talis text.*procedit non in arrogatione, de qua nos in præsenti loquimur, sed in simplici adoptione, cum sit in voluntate patris adoptivi aliquid ei relinquere *l.penult.§.sed ne artie. C.de adopt.*& etiam procedit in adoptione impuberis facta ab ascendentibus, quia licet adoptatus transeat in illius potestatem, tamen non potest inquantum adoptatus (si præteritus est, aut exhæredatus) quærelare testamentum dicti patris adoptivi, quia potest petere quartam ex constitutione *Divi Pÿ,ut est casus dicta,l. Papinianus* 8. *§.si quis impubes ff. de inoffic. testament.* & sic habet remedium ordinarium, ad quartam, quod remedium pro impuberibus arrogatis fuit introductum, *leg.1.§. si impuberi, ff.de colloc.bonor.*& ea ratione fuit introducta, ne arrogatus impubes sine iusta causa emancipetur, ut tradit Loriotus relatus a Marturino *Montano in tract.de hæredib.ab intest.venient.* agendo *de success.liberorum legitimorum tantum num.7.in fine.* Quando verò pubes in arrogationem se dedit, quia transit in po-

potestatem arrogatoris, de illius familia efficitur, juta suitatis consequitur, succedit cum alijs legitimis, & naturalibus, eiq; jure communi est debita legitima, prout filio legitimo, & naturali, ideo si pubes arrogatus præteritus fuit, dicit testamentum nullũ, *l. certum est* 8. *ff. de iniust. rupt. test. instit. quib. mod. testam. infirm.* §. 1. & si exhæredatus sit, agit de inofficioso, ex *leg. si suspecta* 29. §. *quoniam ff. de inoffic. testam. Instit. de inoffic. testam.* § *tam autẽ.* inquo differât impubes arrogatus, Pubere, ita *Peregrin. de fideicomiss. art.* 36. *nu.* 41. & 42. ubi alios refert.

Circa istum effectum arrogationis videas quæ a nobis tradita sunt in *prima parte cap.* 2. §. 2. *qu.* 5. Advertas tamen, quod si quis non fuit arrogatus in filium, sed in nepotem, & taliter arrogatus habeat patrem legitimum, & naturalem, ac matrem; tunc Pater legitimus, & naturalis, ac mater excludunt adoptantem a successione intestati, secundum *Mattesyllan. de success. ab intest.* 3. *membr.* 2. *artic. principal. num* 9. sed æqualiter illos succedere tenet *Bolognin. ibid. num.* 12.

Quartus effectus arrogationis est, quod arrogator sine causa filium arrogatum invitum emancipare non potest, & si id facit, tenetur ei quartam bonorum relinquere *Inst. de adopt.* §. *item non aliter.* Filius autem non potest compellere patrem adoptiuum, ut ipsum emancipet, *leg. non potest.* 31. *ff. de adopt.* nisi adoptatus sit impubes, & factus pubes probaverit non expedire sibi in potestate esse, *l.* 32. & 33. *ff. de adopt.* Quarta autem ista debita arrogato transmittitur jure suitatis, etiam si non sit petita, nec adita, *Pyrrus Aurelinanen. de suitate num.* 6.

Quintus effectus arrogationis est, quod per ipsam dignitas non minuitur, sed augetur, unde Senator si a plebeio est adoptatus manet Senator, vel Senatoris filius, *leg. per adoptionem.* 35. *ff. de adopt.* finita tamen patris adoptivi potestate, nullũ ex pristino jure retinetur vestigium, unde etiam patria dignitas quæsita per adoptionem, deponitur, *l. in omni ferè* 13. *ff. de adopt.* videas *David Doring. in Bibliothec. jureconsultor. verbo Adoptare. num.* 66. ubi refert DD. asserentes filium per adoptionem non acquirere nobilitatem patris adoptivi, & DD. oppositum defendentes. Nos tamen defendimus, quod nobilitas, & privilegium adoptantis transit etiam in filiũ adoptatum, *leg. senatoris* 5. & *leg. liberos.* 10. *ff. de senator. leg. cum adoptionẽ. C. de Decurion. lib.* 10. ubi privilegium

gium militis, seu decurionis ne torqueatur, transit etiam ad filios adoptivos, qui etiam posſũt nomen, ac arma patris adoptantis assumere vide, *Franc. Marc. decis. 880. num. 2. & 3. acq. 885. num. 1.*

Sextus effectus arrogationis est producere cognationẽ legalem, quæ est proximitas ex adoptione proveniens, ut dictum est in prima parte, unde arrogatus fit cognatus illis quibus agnascitur, illis vero quibus, non agnascitur, cognatus non fit, idest contrahit cognationem cum illis personis, cum quibus jura agnationis acquirit, *l. qui in adoptionẽ 23. ff. de adopt. l. non facile 4. §. in adoptionem, ff. de gradib. affinit.* agnascitur autem illis qui sunt intra familiam arrogantis, seù sub illius potestate, unde cum filijs arrogantis jura agnationis, & cognationis acquirit, cum matre verò, & uxore arrogantis, cognationem non contrahit, quia illis non agnascitur, cum sint extra familiam arrogantis dicta, *leg. qui in adoptionem. 23.* ibi: *ideo si filium adoptavero, uxor mea illi matris loco non est; neq; enim agnascitur ei, propter quod nec ei cognata fit.* loco tamen novercæ habetur, & ideo illam in vxorem ducere non potest, *leg. adoptivus. 14. ff. de rit. nupt.* unde in rigore cognatio legalis est duplex. Prima est in linea recta inter adoptantem, & adoptatum, ac adoptati descendentes. Secũda est in linea transversali inter adoptatum, & filios carnales adoptantis, *leg. 4. §. in adoptionẽ. ff. de grad. affinit.* Tertia verò cognatio legalis, quæ est per modum cuiusdam legalis affinitatis inter adoptãtem, & uxorem adoptati, vel inter adoptatum, & uxorem adoptantis, verè, & propriè cognatio legalis non est, quia in *l. qui. in adoptionẽ. 23. ff. de adoptionibus.* expresſè dicitur, quod non contrahit cum uxore adoptantis cognationem. Sed quia cum illa matrimonium contrahere non potest, ideò potest dici, quod inter illos detur aliqua cognatio legalis minus propriè, in quo sensu intelligi debet id quod dixi in *prima parte cap. 1. §. 1. disp. 5. in princip.* ubi cũ alijs enumeravi tres species cognationis legalis, expresſè enim in *l. patris adoptivi. 7. ff. de in jus vocand.* dicitur, quod *ijs tantùm cognatus fit, quibus, & agnatus.* unde cognatio legalis per modũ cuiusdã legalis affinitatis propriè non datur, ut clare habetur in *leg. nom facile. 4. §. in adoptionem,* ibi: *affinis autem ei omnino in ea familia nemo est, ff. de grad. affinit.*

Septimus effectus arrogationis est, quod arrogatus etiam de jure civili

civili non potest matrimonium contrahere cum illis, quibus agnascitur, dicta *leg. qui in adoptionem 23. ff. de adopt.* sed hoc intelligitur durante patria potestate, prout dictum est in *prima parte cap. 1. §. 1. disp. 5.* Vnde filiã sororis adoptivæ possum in uxorem ducere, quia talis filia mihi cognata non est, quia mihi non agnascitur, cum non sit sub potestate matris, quæ tantum mihi agnascitur per arrogationem, & sic per adoptionem nemo fieri valet avunculus illius, cuius mater fuit arrogata, *leg. si qua mihi. 12. §. fin. ff. de rit. nupt.* similiter sororem patris mei adoptivi possum ducere, quando non sunt nati ab eodem patre, dicta *leg. si qua mihi 12. §. fin.* matrem tamen mei patris, adoptivi, aut materteram, aut nepotem ex filio uxorem ducere non possum, quandiu in familia patris adoptivi sum, soluta tamen adoptione per emancipationem possum cum illis contrahere, *leg. quientiam. 55. ff. de rit. nupt.*

Octavus effectus arrogationis est, quod arrogator potest filium arrogatum alteri in adoptionem dare; quia arrogatio imitatur naturam, & sicut habens filium naturalem in potestate, potest illum in adoptionem alteri dare, ita etiam potest dare filium arrogatum; idem dicimus quando quis est adoptatus ab aliquo ex ascendentibus *Instit. de adopt. §. in plurimis.*

Nonus effectus est, quod arrogatus licet mutet familiam patris naturalis, & fiat de familia arrogatoris, non tamen mutat patriam, & civitatem naturalem, sed ultra illam acquirit civitatem, & patriam patris adoptivi, *leg. in adoptionem. 7. C. de adopt.* & ita originis suæ adhuc munera subire potest, *Petr. Loriot. in leg. 4. §. in adoptionẽ datus. ff. de grad. affinit.* si tamẽ ab adoptivo patre emancipetur, non tantum filius, sed etiam civis Civitatis, cuius per arrogationem factus fuerat esse desinit, *l. 16. ff. ad municipal.* unde in adoptiva familia datus, vel susceptus potest munera, & honores subire, non solum in patria sui patris adoptivi, sed etiam in patria originis paternæ, vel avi, *leg. 15. §. fin. & leg. 17. §. in adoptiva familia, ff. cit. tit.* adeoq; origo avi etiam quantum ad hoc attenditur.

Decimus effectus est, quod arrogatus quamdiù est in potestate arrogatoris, non potest illum in jus vocare, nisi lis sit de peculio Castrensi, vel quasi, nam tunc causa cognita permittitur ei, ut possit in jus vocare dictum patrem, *l. adoptivum. 8. ff.* de

de in jus vocand. Parentes verò patris adoptivi impunè potest in jus vocare, quoniam isti, parentes eius non sunt, cum iis tantùm cognatus fiat, quibus, & agnatus *leg. patris adoptivi. 7. ff. cit. tit.* Filius verò qui in adoptiva familia est non potest in jus vocare parentem suum naturalem, dicta *leg. adoptivum.* 8.

Vndecimus effectus est, quod pater adoptivus tenetur filiũ adoptiuũ alere, quia qui vult aliquẽ filium, vult etiam subire onera patris, inter quæ est onus alendi; vt probat *Surd. de alim. tit. 1. q. 2.* Verum *Ang. Aret. in §. sed ea omnia. Instit. de hared. qua ab intest. deferunt.* dicit, quod pater adoptiuus non tenetur alere filium nisi ipsi patri adoptivo operetur, vel nisi pater naturalis esset egenus. Sed hoc procedit in simplici adoptione, non in arrogatione, de qua nos in præsenti loquimur.

Decimus secundus effectus est, quod quando testator relinquit uxorẽ dominam, & usufructuariã bonorum suorum, & hæredem instituit filium arrogatum, in tali casu favore dicti filij, usufructus uxori relictus, restringitur ad alimenta tantùm, quia isti succedunt parentibus, sicut si essent legitimi, & naturales, ut probat *Surd. de alim. tit. 2. q. 15. n. 36. & seqq.*

Decimus tertius est, quod arrogator potest facere substitutionẽ pupillarẽ filio arrogato, sicut potest facere filio legitimo, & naturali, sed hoc intelligitur non solum ad quartam, quam ex bonis arrogatoris consequitur, ut loquitur *tex. in leg. si arrogator. 22. ff. de adopt.* sed etiam potest substituere ad omnia bona, quæ ad arrogatum pervenerunt ex beneficio arrogatoris, ut expressè habetur in *leg. sed si plures. 10. §. in arrogato. ff. de vulg. & pupillar.* Non tamen potest pupillum per fideicommissum gravare, dicta *leg. si arrogator.*

Decimus quartus effectus est, quod filius arrogatus ad similitudinẽ filij legitimi, & naturalis impedit bonorũ publicationem, dũmodo adoptio non sit facta in fraudem imminentis confiscationis *leg. ultim. §. ex bonis. ff. de bonis damnator. Tiraquell. in leg. si unquam. verbo susceperit liberos. n. 20. C. de revocand. donat. Surd. loc. cit. n. 40. Peregr. de jure fisci lib. 5. tit. 1. num. 146.*

Alij effectus arrogationis videri possunt apud *Tiraquell. l. cit. num. 2. & seqq.* ubi etiam habes in quibus disconvenit arrogatus à filio legitimo, & naturali, quod deservit ad explicationem *tex. in §. in plurimis autẽ causis assimilatur is, qui adoptatus, vel arrogatus*

M est

est ei, qui ex legitimo matrimonio natus est, *Inst. de adopt.* sed de hoc in sequenti quæsito.

Simplicis verò adoptionis effectus non sunt illimet, qui numerati sunt pro adoptione perfecta, sed unum tantū effectū habet talis adoptio, qui est in ordine ad successionem ab intestato, inquantum adoptatus ab extraneo potest patri adoptanti ab intestato succedere, sed non contra testamentum *Instit. de adopt.* §. *sed hodiè*, *leg. cum in adoptivis.* 10. §. *sed siquidem*, C. *de adoption.* de qua successione videas quæ dicta sunt in *prima parte*, ubi multa alia habētur de adoptione, præsertim in *cap.* 1. §. 1. *disp.* 5. §. 3. *disp.* 1. *q.* 1 *&* 5. *&* *c.* 2. §. 2. *disp.* 1. *qu.* 5.

QUÆRES VIII.

In quo differunt filij adoptivi a filijs legitimis, & naturalibus.

EX dictis in præcedenti quæsito patet, quod filij adoptati adoptione perfecta in multis conveniunt cum filijs legitimis, & naturalibus, sed quia adoptio non est natura, sed imitatur naturam, ideo in multis etiam differunt a filijs legitimis, & naturalibus.

Primò, differunt; quia adoptio non facit, ut donatio revocetur per supervenientiam liberorum adoptivorum, sicut facit nativitas filiorum legitimorum, & naturalium: quia esset in potestate donantis, jus alteri quæsitum auferendi per adoptionem, & sic facillimè dispositioni legis fraus fieri posset, si admitterētur adoptivi *Dec. consil.* 399. *num.* 4. *Tiraquell. in l. si unquam. verbo susceperit liberos. num.* 2. *C. de revocand. donat.* Hoc tamen verum est quando filius adoptatur post donationem iam perfectam; quia, si pater tempore donationis iam habebat filios adoptivos, sed falso rumore deceptus, mortuos putabat, quos tamen postea compertum est vivere, tunc dicti filij includuntur sub dispositione dictæ *l. si unquam Tiraq. ibid. nu.* 22.; *unde Raynut. in l. Gallus.* §. *& quid si tantum*, *ff. de liber. & post.* dicit, quod filij iam ante testamentum a filio adoptati, faciunt deficere substitutionem, si filius ipse sine liberis decesserit, licet id non faciant postea adoptati. Sed hoc intelligo verum, quando tempore substitutionis filius habebat filios adoptivos, & testator de hoc scientiam habebat, & substitutionem sub illa conditione fecit, alias esset in potestate hæredis, adoptando sibi filios,

fideicommissum eludere, & fideicommissarium excludere. Similiter differentia posita limitatur, quando adoptio fuisset facta instinctu, sive rogatu, vel ad instantiam ipsius donatarij, vel substituti, *Hippol de Marsil. singu.* 350.

Secundo differunt, quia latius extenditur prohibitio nuptiarũ inter naturales, quam adoptivos *Institut. de nupt.* §. 2.

Tertio differunt, quia adoptivus tantũ habet jus agnationis, non etiam jus sanguinis, cum utrunque habeat naturalis, *l. qui in adoptionem.* 23. *ff. de adop.*

Quarto differunt, quia adoptivus vacationem tutelæ, aut aliorum munerum non præstat, quæ præstat naturalis *Instit. de excus. tut. in prin. Decius cõs.* 399. *n.* 4.

Quinto differunt, quia in hac cõditione, *si liberos reliquerit*, vel *si liberos habuerit* non comprehẽdũtur adoptivi *l. si ita.* 53. §. *is, cui in tempus liberorum tertia pars relicta est: utique non poterit adoptando tertiam partem consequi. ff. de legat.* 2.

Sexto differunt, quia naturales emancipati habent bonorum possessionem, *unde liberi*, quam post emancipationẽ non habent adoptivi *Institut. de hæredit. quæ ab intest. defer.* §. *emancipati autem.* & §. *minus ergo juris.*

Septimo differunt, quia filius legitimus, & naturalis in potestate, vel emancipatus, si sit a patre præteritus, habet bonorum possessionem contra tabulas de jure prætorio: adoptivi verò filij, si a patre adoptivo sint emancipati, non habent bonorum possessionem contra tabulas quando a dicto patre sunt præteriti in testamento, quia non sunt amplius in numero liberorum eius, unde sicut post emancipationem nõ posũt ab intestato venire ad bona patris adoptivi, ita nec admitti debent contra tabulas testamenti *Inst. de hæredit. quæ ab in test. defer.* §. *eadem hæc observãtur.*

Octavo differunt quia naturales emãcipati possunt etiam succedere ex latere, per bonorum possessionem, *unde cognati:* adoptivi verò postquam emancipati fuerint, non ita succedere valent, *l. capitis diminutione.* 3. *ff. unde cog.*

Nono differunt, quia pater naturalis filium emancipatum vel in adoptionem datum rursus potest adoptare, imò in adoptionem a patre datus, dissoluta postmodum adoptione, revertitur ad patrem suum ipso jure. *leg.* 10. §. *si vero pater. in fin. C. de adopt.* Filium verò adoptivum, quem pater adoptivus emancipavit, vel alij in adoptionem dedit, rursus adoptare non potest, *leg. adoptare.* 37. *ff. de adopt.*

Decimo differunt, quia pater naturalis poteſt pupillariter ſubſtituere ſuo filio naturali non ſolum in bonis ab ipſo relictis, ſed in omnibus bonis pupilli. Subſtitutio verò facta ab arrogatore non trahitur niſi ad bona arrogatoris, & ad acquiſita impuberi beneficio arrogatoris, *l.ſed ſi plures*.10. *§.ad ſubſtitutos pupillares. & §.in arrogato.D.de vulgar.*

Undecimo differunt, quia in Emphyteuſi quæſita proſe, & filiis, veniunt filii naturales, non adoptivi, *Specul.lib.4.p. 3. de Emphyteuſ. num.*88.*Tiraquell.in l.ſi unquam.verbo ſuſceperit liberos. n.*1. *C. de revocand. donat.* Quod tamen fallit, quando verbum *Filii* non poteſt verificari, niſi in adoptivo, ut eſt ſi concedatur alicui pro ſe, & filiis, qui tamen eſſet talis, ut generare non poſſet. *gloſ. in l.ſi quis poſthumos. 9.* ubi *Bald. Alexand.& Imol. D.de liberis, & poſth.* Similiter fallit, ſi ad inſtantiam concedentis fierent filii adoptivi, *Hippol. de Marſil. ſingul.*350.

Duodecimo differunt, quia filii naturales habent jus protimiſeos, adoptivi verò non, quia non ſunt verè, & propriè liberi, ſed per fictionem, nec ſunt de genere, & familia venditoris, nec per eos ſplendor, & dignitas familiæ conſervatur, *Tiraquell.de utr.retr.§.*1.*gloſ.8.n. 16.& ſeq.*

Decimotertio ſecundum aliquos differunt, quia conſtitutio quæ auxit legitimam filiorum legitimorum, & naturalium, non comprehendit filium adoptivum, *Tiraquell.in dicta l.ſi unquam. verbo ſuſceperit liberos.num.* 5. *& de iur.primogen.q.84. n.9.* quamvis multi oppoſitum teneant. Aliæ differentiæ videri poſſunt apud *David. Doringium in Biblioth.Jureconſultor.verbo Adoptare.*

Ex dictis infertur, quod Adoptatus, vel arrogatus minus juris videtur habere, quam baſtardus legitimatus, quia in baſtardo legitimato concurrit veritas, & fictio, in adoptato ſola fictio concurrit, & ideo valet argumentum, maſculus legitimatus in conditione, vel ſtatuto excludente fœminas legitimas, & naturales nō admittitur, ergo nec adoptatus, *Tuſc.prac.cōcl.216.verb. Adopt. n.* 5. *vol. 1.* Similiter filius adoptivus occidens patrem adoptivum, vel matrem non tenetur pœna ordinaria parricidii, quia ratio vinculi naturalis, & ſanguinis ceſſat in filio adoptivo, qui dicitur filius fictè, & non verè, ac propriè *Menoch. lib. 2. de arbitr. iudic.cent.4.caſu* 356.*num.*16.*Farinac.in prax. crim. p. 4. tit.14.q.* 120.*ſect.*5. *n.* 163. puniendus tamen eſſet extraordinariè, & quidem

dem majori pœna, quam simplex homicida, propter enormem ingratitudinem illatam ei, qui ipsum in familiam suam assumere, & ad bonorum possessionem admittere dignatus est, *Decian. in pract. crim. lib.9. cap. 9. de parricid.num.5.*

Quamvis autem majorem prerogativam habeant filii legitimi, & naturales, quam adoptivi, ut ex dictis liquet, persuasum tamen habuit Imperator Hadrianus, adoptivos filios preferendos esse naturalibus, ea forsan ratione, quia præstantiores tantùm in filios adoptantur, filios.n.aut natura suscipimus, aut electione, in natura autem casus est, in electione judicium, & multoties natura pœnitendos plerumque liberos dat parentibus. Unde olim Imperatores, Reges, ac Principes optimum, ac fortissimum quemque sibi adoptabant, vel arrogabant. Sic Imperator Hadrianus Trajani arrogatione Imperij Romani Principatum est adeptus, deinde Hadrianus non modò Antoninum Pium adoptavit, sed etiam effecit, vt Pius Philosophum, Principum decus adoptaret, nè ab optimis Principibus Imperium desereretur:cum igitur hic filium Commodum,ad Imperii dedecus natum suscepisset,aliũ,qui deinde esset in Imperio, sibi adoptare decreverat, nisi ab amicis revocaretur, propterea quod nemo ferè filios, si legitimos justo connubio sustulisset,adoptare solebat, *Bodin.lib.p. de Republ. c.4.de patr. potest. n.30.* Unde Theodoricus Gothorum Rex adoptans in filium Regem Herulorum inter cætera apud *Cassiod. lib.4. Epist. 2.* scribit: *Per arma posse fieri filium, grande inter gentes constat esse præconium: quia non est dignus adoptari, nisi qui fortissimus meretur agnosci: in sobole frequenter fallimur. Ignavi autem esse nesciunt, quos judicia pepererunt. Ii.n.gratiam non de natura, sed de solis meritis habent, quando animi vinculo obligantur extranei, &c. Tholos. Syntag. lib. 10.cap.6. de adopt. n. 3.* Hæc quidem de adoptionibus, & legali cognatione commemorasse sufficiant,ne tedio lectorem afficiam. Unde cum Dei laude sit.

Finis Secundæ Partis.

TRA-

TRACTATUS
DE GRADIBUS COGNATIONUM.

AUTHORE

REVER. D. MATTHÆO-JANUARIO SIBILIA, Neapolitano,

S.T.D., & V.I. Publico Interprete.

PARS TERTIA.

HÆC est ultima pars hujus tractatus, in qua de modo numerandi gradus consanguinitatis, & affinitatis, tam de jure Canonico, quam Civili agendum est; sed quia talis numeratio fieri non valet, nisi à numerante construatur arbor consanguinitatis, vel affinitatis, nec non distinguantur lineæ, ideo ante omnia de tali arbore, ac lineis videndum clara, & aperta, quamvis non erudita loqutione, juxta illud tritum proverbium commemoratum à *Gellio lib. 12. cap. 5. Indoctius, rudiusque quodammodo loquere, & apertius, ac clarius fare.* Sit ergo.

CAPUT PRIMUM
De Arbore Consanguinitatis.

INventor arboris consaguinitatis fuit Imperator Justinianus, ut tradunt Præpositus, Card. Florent. & alii apud *Oliver. Text. de gradib. cognat. q. p. n.* 1. & causa inventionis talis arboris fuit, ut adolescentes, perfectissimam gradvum doctrinam possent habere oculorum inspectione, quia veritas magis hominum animis infigitur per inspectionem ocularem, quam per aures tantum; unde arbor ista difinitur: *Est diluсida quædam demonstratio, qua perso-*

personarum gradus, cognationis proximitas, & distantia, ob oculos ponitur, ita *Hostien. in tit. de consang. & affinit. §. qualiter arbor.*

Dicunt aliqui, quod arbor ista consanguinitatis est duplex, una Civilis, alia Canonica. Civilis arbor ad leges civiles pertinet, quę proximitate graduum observata, tutelas, & successiones deferunt. Canonica arbor fuit à sacris canonibus inventa pro generatione computanda, nuptiis permittendis, vel interdicendis, *Can. ad sedem. 35. q. 5.* Verum tamen est quod eodem modo formatur arbor civilis, & canonica, & solum differētia habetur in graduū computatione, & numeratione, unde eadem arbor Ciuilis quoad lineas, & cellulas personarum deservit pro canonistis, qui tamen non numerant gradus in linea collaterali, ut numerantur à Civilistis, nam de jure civili in linea collaterali singulæ personę, stipite dempto, singulos gradus constituunt: de jure verò canonico, semper duæ personæ lineæ æqualis pro uno gradu numerantur, & duo gradus legales, unum canonicum constituunt, ut infra patebit. Interim.

QUÆRES I.

Quæ in arbore Consaguinitatis consideranda sunt?

QUatuor potissimum considerantur. s. stipes, linea, Ordo, & Gradus. Stipes hic intelligitur illa persona, à qua omnes aliæ personæ de quarum cognatione, & propinquitate quæritur originem trahunt, & talis stipes non venit in computatione personarum ad constituendum gradum.

Linea est collectio personarum ab eodem stipite descendentium diversos gradus continens, & numeros distinguens, *Carolus de Rosa ad consuetudinem si quis, vel si qua num. 352.* Ordo hic sumitur pro habitudine, & respectu personarum in lineis contentarum ad invicem, & licet duæ sint lineæ, ut infra dicemus, una videlicet recta, & altera transversalis, seu collateralis, tamen personæ constituentes dictas lineas possunt triplicem respectum ad invicem habere, ideo triplex est Ordo primus est ordo Superiorū, secundus inferiorum, & tertius ex transverso, seu à latere, *l. p. D. de gradib. affinit.* Ordo Superiorum est respectus, & habitudo personarum generantium respe-

ctu genitorum, unde dicuntur esse in Ordine Superiori omnes illæ personæ à quibus ille de cujus cognatione quæstio est descendit *d.l.*1. Ordo inferiorum est habitudo, & respectus personarum genitarum, respectu generantium, unde omnes personæ ab uno stipite descendentes respectu illius dicũtur esse in ordine inferiori, *d.l.*1. Ordo transversalium est habitudo, & respectus personarum quæ directo sibi invicem generationis principium non dederunt, sed aliorsũ deflectũt, licet ab eodem sanguine descendant, *l. Jurisconsultus. D. de grad. affinit.* Unde personæ, quæ ab eodem stipite descendunt, & inter se non habent rationem generantis, & geniti, dicunt esse in ordine collaterali, ut sunt frates, & eorum descendentes.

Gradus est habitudo distantium personarum, qua discernitur propinquitas inter diversas personas, unde sicut in schala dãtur gradus proximiores, & remotiores, quibus ascenditur, & descenditur, ita in arbore consanguinitatis fit transitus à proximo in proximum, *l. Jurisconsultus*, §. *gradus. D. de grad. affinit.* Sed de istis infra suis locis.

QVÆRES II.

Quomodo legenda est Arbor Consanguinitatis inventa ab Imperatore?

DIfficilis redditur lectura illius arboris, quia plura in se continet, quæ deberent distinctis arboribus explicari, prout ego in præsenti feci; continet.n. personas ascendentiũ, descendentiũ, & collateraliũ: continet nomina aliquorũ collateraliũ inquantum comparantur ad invicem, ut Sobrini, propior Sobrina, &c. & insuper continet nomina collateralium quibus denominãtur quãdo considerantur inordine ad descendentes à suis collateralibus .f. inordine ad descendentes à suo fratre, vel sorore, & ex parte dextera arboris prope lineam rectam sunt nomina collateraliũ ex parte ascendentis masculini, ex parte verò sinistra sunt nomina collateralium ex parte ascendentis fœminini, & ex hoc redditur difficilis lectura dictæ arboris, confunditur.n. legens in tanta multitudine cellularum, nominum, & linearum, quæ non deserviunt ad disignandam distantiam, cum per duas infimas lineas collaterales, quæ incipiunt à fratre, & sorore sufficien-

cientissimè exprimitur distantia omnium collateralium, sed deserviunt ad exprimenda nomina collateralium, ut dictum est; unde ex parte dextera habetur Frater, supra habetur Patruus, Amita, deinde Patruus Magnus, Amita magna, postea Propatruus Proamita, deinde Abpatruus, Abamita, & tandem habetur Atpatruus, Atamita, & ita frater tui Patris, Patruus appellatur, soror verò illius Amita dicitur: Frater tui Avi Patruus magnus appellatur, & illius soror Amita magna dicitur: Frater tui Proavi Propatruus appellatur, illius verò soror Proamita dicitur, & sic de reliquis successivè discurras. Ex parte verò sinistra arboris habetur Soror, supra habetur Auunculus, Matertera: deinde Auunculus magnus, Matertera magna: postea Proauunculus, Promatertera; deinde Abauunculus Abmatertera: & tandem Atauunculus, Atmatertera, & ita frater tuæ matris Auunculus appellatur, illius verò soror Matertera dicitur: Frater tuæ Aviæ Auunculus Magnus dicitur, illius soror Matertera Magna appellatur, & sic successivè discurras de aliis nominibus. Unde patet, quod ista nomina, & multiplicatio linearum, ac cellularum confundunt lectorem in intelligentia arboris consanguinitatis.

Ut tamen revertar unde discessi, debetis circa lecturam arboris, prout ab Imperatore ponitur, advertere Cellulam illam mediam, in qua nihil dipictum est, nam ab illa, & ad illam tota computatio procedit, & reducitur, habet .n. supra se cellulas, & nomina ascendentium, & infra se cellulas, ac nomina descendētium; unde in tali cellula vacua poni debet persona de cujus gradu, ac distantia quæritur in linea recta, & si consideres talem personam in ordine ad ascendentes, puta in ordine ad patrem, persona in tali cellula dicitur filius, si consideres in ordine ad Auum, dicitur, Nepos, & sic deinceps, & in tali linea ascendentium, & descedēntium dictā cellulam vacuam appellant Petrucium, Joachim, &c. si verò talis persona cōsideretur in ordine ad descendentes, tunc, vel denominabitur Pater, vel Auus, &c. prout est persona descendens, quæ ei correspondet, *Oliver. Textor. de gradib. cognat q. 12. num. 2*. In ordine ad dictam cellulam vacuam etiam desumitur numeratio graduum in linea collaterali, & tunc talis cellula appellatur Stipes, quia fingitur, quod à persona existēte in tali cellula originem trahunt dictæ lineæ collaterales, &

talis ſtipes non numeratur in computatione graduum in linea collaterali, ſed ſemper demitur.

Advertunt hic expoſitores dictæ arboris, quod ſi in computandis gradibus cōſanguinitatis perſonarum in arbore poſitarum non facis ipſam cellulam vacuam, ſeu Petrucium alterum extremum collationis, ſeu comparationis ad alias perſonas, ſeu aliam perſonam, ſed facis comparationem, & collationem inter alios, tunc perſonā ipſius Petrucii, ſeu cellulam vacuam non computabis, ſed illam omittes, ac ſi non eſſet in arbore: puta ſi vis ſcire Auus, à Nepote quoto gradu diſtet, tunc numerabis quatuor perſonas, ſeu cellulas v3. nepotis, filii, patris, & avi, & omittes cellulam ipſam vacuam, ac ſi non eſſet in arbore, alias auus, & nepos eſſent in quarto gradu, cum eſſent tunc quinque perſonæ. Hæc advertentia ad literam ponitur ab *Oliver. Text. in tract. de grad. cognat. q. 12. num. 3.* ubi per ſeqq. numeros alias explicationes ponit pro intelligentia dictæ arboris, quæ certè non clarificant, ſed confundunt mentem legentis, ideo illas hic referre non videtur expediens, nolo .n. de aliorum obſcuritate participare, ſicut nec de illorum errore, nam ut habes ex ſupradictis verbis, *Oliver. Textor.* ibi, ſi vis ſcire Auus, à Nepote quoto gradu diſtet, tunc numerabis quatuor perſonas, ſeu cellulas v3. Nepotis, Filii, Patris, & Avi, errat, nā ex numeratione poſita ſequeretur, quod Nepos, & Auus eſſent in tertio gradu, cum ſint quatuor perſonæ juxta illius numerationem, quod tamen falſiſſimum eſt, nam Auus ſecundo gradu diſtat à Nepote; unde in numeratione perſonarū errat, quia tres perſonæ requiruntur pro conſtituendo Avo, & Nepote, & non quatuor, ut ipſe dicit, ſicut duæ generationes, & non tres requirūtur, ut habeatur Auus, & Nepos, Pater enim generat filium, & iſte generat Nepotem reſpectu ſui patris; adeoq; patet quod confunduntur DD. in explanatione dictæ arboris, & ideo hanc materiam numerationis graduum appellant ſummè difficilem, *Hoſtienſ. Bartol. & Dec.* relati ab *Oliver. Textor. loc. cit. q. 11. num. 4.*

Ne igitur erres quando vis uti arbore tradita ab Imperatore, ſemper in linea recta ponas perſonam, de qua diſtantiam habere deſideras, in ipſa cellula vacua, & tunc potes, vel ſurſum, vel deorſum numerare, puta ſi vis ſcire quoto gradu ſe attinent pater, & filius, ponas in ipſa cellula

lula vacua filium, & deinde ascēdas ad cellulam patris, & sic successivè discurras quando vis scire de nepote, & pronepote, &c. respectu aliorum ascendentium; nam in tali cellula debes ponere nepotem, vel pronepotem. Vel ponere vales in ipsa cellula vacua Patrem, & deinde descēdas ad filium, aut ponas Auũ, & descendas ad Nepotem, nam semper unum extremum computationis poni debet in ipsa cellula vacua, & si tale extremum nominetur aliquo nomine ascendentium. s. pater, Auus, &c. debes computando descendere ad suũ correlatiuum: si nominetur aliquo nomine descendentium, puta filius, vel nepos, &c. debes computando ascendere ad illius correlatiuum, & servādo regulã numerationis graduum, habebis distantiam, vel propinquitatem.

Ut tamen valeas facillimè computare gradus, quando casus occurrit, construas tibi arborem prout materia expostulat. s. vel construas arborem in linea recta tantùm, vel in linea collaterali tantùm, nam tunc servatis regulis numerationis graduum, nullam difficultatem habebis in querenda distantia, vel propinquitate tàm de jure civili, quàm de jure canonico, prout in sequētibus figuris clarissimè habes, pro quarum majori intelligentia.

QUÆRES III.

Quomodo est construenda arbor Consanguinitatis pro cognoscenda distantia, vel propinquitate personarum?

IN constructione arboris Consanguinitatis non debet quis Genealogiam facere, quia in Genealogia primum, & summum locum obtinet Genearchus, hoc est auctor, & caput familiæ, *l. pronunciatio. D. de verb. signif.* & sub illo ponuntur reliquę personæ ad illum ordinatæ. Tabula verò cognationis, seu consanguinitatis, quia continet suprà, infrà, & à latere. s. ascendentes, descēdētes, & collaterales, *l. ult. D. de rit. nupt.* ideo Civilistę constituunt mediã aliquã personam supra quam, infra quã, & à cujus lateribus alias describunt, quæ ad illam unam referuntur, quãvis à Sacris Canonibus talis textura arboris, Genealogia appelletur in *Can. ad Sedem Apostolicam. 35. q. 5. & Can. de gradibus verò 35. q. 8.* Cum igitur cognationis tres sint species, alia. s. parentum, qui supra caput nostrum sunt, alia descendentiũ, qui infra nos sunt, & alia propinquorum, qui tantùm ex latere


nobis conjunguntur, & in Adami persona non dentur parentes supra, neque à latere, ideo in Adami persona non potest describi cognatio, seu arbor consanguinitatis, bene verò describi potest Genealogia.

Hæc regula constructionis arboris consanguinitatis verissima est, & secundum illam fuit ab Imperatore Justiniano constructa arbor consanguinitatis, sed quia ut supra dixi, confunduntur multi in lectura, & intelligentia talis arboris, confunduntur etiam in illius constructione, ideo quãdo casus aliquis occurrit, in quo debes gradus numerare, non construas totam arborem consanguinitatis ponendo ascendentes, descendentes, & collaterales, sed solùm construas partialem arborem. s. vel facias arborem ascendentium, & descendentium tantùm, vel collateralium tantùm, prout casus expostulat, & ita facile numeribus gradus.

Arbor autem ascendentium construitur hoc modo, in infimo loco ponas personam de qua quæris distantiam, vel propinquitatem habere, supra illam ponas ascendentes ordinatè. s. Pater, Auus, Proauus, Abauus, Atauus, &c. & sic procedas usque ad illam personam cum qua est quęrenda distantia, vel propinquitas. Vel potes facere lineam rectam descendentium incipiendo ab illa persona, quæ debet esse extremum distãtię, vel propinquitatis, procedendo nominibus descensivis usque ad aliam personam, quę est alterum extremum distantię, vel propinquitatis, & non ultra, & sic incipere debes à Patre, vel à Matre, ut patet ex sequenti figura.

Arbor

Arbor lineæ rectæ Descendentium.



IN hac arbore habes simul lineam rectam descendentium, & ascendentium, nam Pater, vel Mater dicitur respectu filii, respectu verò Nepotis, vel Neptis dicitur Auus, Auia, respectu pronepotis, vel Proneptis dicitur Proauus, Proauia, & sic deinceps,


us

ut ex tali lectura arboris clarissimè constat, unde quando in cellulis dictæ figuræ ponis personas de quibus petis distantiam, vel propinquitatem, statim habes nomen descendentis, ascendentis, & gradum; in hac tamen figura semper in cellula patris est collocanda persona ascendens, cumqua distantiam quæris, quia in latere arboris postea habes an talis ascendens sit Auus, vel Proauus, &c. & sic qui vult scire quoto gradu nepos distat à suo Avo, debet inspicere cellulam illam ubi dicitur *Nepos*, *Neptis*, quia tunc habet distantiam, & nomen sui ascendentis, quod in reliquis discurras.

Arbor collateralium cõstruitur hoc modo, in medio constituitur Pater, vel Mater, quæ sũt personę illę à quibus immediate originãtur lineæ collaterales, & stipes apellantur, deinde à lateribus ponas fratres, vel sorores, & sub quolibet illorum ponas suam descendentiam usque ad illas personas inter quas distantia quæritur, sive æqualiter distent à communi stipite, sive inęqualiter, ut patet in hac figura.

Arbor


Arbor lineæ Collateralis æqualis.



IN hac figura si in cellulis à latere existentibus collocabis personas collaterales, de quibus quęstio est, statim habebis distantiam, vel propinquitatem dictarum personarum, quod si dictæ personæ inæqualiter distarent à communi stipite, tunc sequenti

quenti utere figura, in qua lineæ quibus colligatur cellulæ continent diſtantiam tàm de jure canonico, quàm de jure civili.

Arbor lineæ Collateralis inæqualis.



C A-

CAPUT SECUNDUM

De personis ex quibus constituitur Arbor consanguinitatis ab Imperatore tradita.

PErsonę ex quibus constituitur arbor consanguinitatis sunt Consanguinei generalitèr sumpti, & non in rigoroso sensu, unde comprehenduntur agnati, & cognati, & descendentes per lineam masculinam, & fœmininam, *Oliver. Textor. de grad. cognat. q. 7. can. de consanguinitate. 35. q. 3. can. ad sedem. 35. q. 5.* de qua re dictum est supra in secunda parte hujus tractatus. Isti autem consanguinei, vel sunt ascēdentes, vel descendentes, vel collaterales, quia ut dictum est supra *l. cit. cap. 3.* consanguinitas largè sumpta est attinentia personarum ex eo proveniens, quod una descendit ab alia, vel ambę ab eadem persona, vel mediatè, vel immediatè; inquantum. n. una descendit ab alia denotatur consanguinitas quæ reperitur in linea descendentium, ut inter patrem, & filium, &c. inquantum ambę descendunt ab eadem persona, vel mediatè, vel immediatè, denotatur consanguinitas quæ reperitur in linea transversali, ut est consanguinitas, quæ reperitur inter fratrem, & sororem, & inter descendentes ab istis, nam inter istas personas non potest verificari, quod una descendit ab alia. sed ambæ ab una persona descendunt. s. à communi eorum patre, & stipite, unde in *l. 1. D. de grad. affinit.* habetur: *gradus cognationis alii superioris ordinis sūt; alii inferioris: alii ex transverso. sive à latere. Superioris ordinis sunt parentes: inferioris, liberi: ex transverso, sive à latere, fratres, & sorores, liberique eorum*. Idem habetur in *tit. Instit. de grad. cognat.*

QVÆRES I.

Qui dicuntur ascendentes, & descendentes, & quæ illorum nomina.

AScendentes sunt personę generantes a quibus quisque suam trahit originem, sive immediatè, sive mediatè. Pimus, & immediatus ascendens cuiusque est Pater, Mater: secundo loco Auus, Avia: tertio loco Proauus, Proavia: quarto loco Abauus, Abavia: quinto loco

Atauus, Atavia: sexto loco sunt Tritauus, Tritavia, *l.1. D. de grad. affinit.* ultra hos, nomina non habentur, sed alii ascendentes *Majores* appellantur, *l. Jurisconsultus. 10. §.parentes. D. de grad. affinit.*

Descendentes verò sunt personę genitæ sivè immediatè, sive mediatè, & quia descendentes correlativè se habent ad ascendentes, ideo primus, & immediatus descendens dicitur Filius, Filia: secundus descendens dicitur Nepos, Neptis: tertius dicitur Pronepos, Proneptis: quartus dicitur Abnepos, Abneptis: quintus dicitur Atnepos, Atneptis: & sextus dicitur Trinepos, Trineptis, nec alia nomina descendentium datur, sed ultra hos *Minores* appellantur, vel *Posteriores, dicta l. Jurisconsultus. 10. §. parentes.*

QVÆRES II.

Qui dicuntur Collaterales, & quæ illorum nomina?

Collaterales sunt personæ consanguineæ, sive sint Agnatæ, sive Cognatæ, quę ad invicem non habent rationem generantis, & genitæ, sed ambæ ab eodem generante, seù stipite dependent, sivè immediatè, sive mediatè; incipiunt.n. collaterales à fratribus, & sororibus, unde sicut frater est collateralis fratri, vel sorori, ita descendentes à fratre, collaterales sunt descendentibus ab alio fratre, vel sorore. *Isti* collaterales protrahuntur sicut protrahitur linea recta descendentium, quia quęlibet linea collateralis respectu stipitis linea recta dicitur, & ideo eodem modo formatur, ac linea recta descendentium, procedendo usque ad Minores.


Collaterales isti ad invicem non omnes habent aliquod speciale nomen tributum à lege, sed solùm prima persona lineæ collateralis habet suum speciale nomen respectu omnium descẽdentium ab altero suo collaterali, sicut etiam descendentes ex collateralibus usq; ad secundam generationem habent ad invicẽ speciale nomen, quod ut clarius intelligatur.

Sciendum, quod si lineæ collaterales originentur à fratribus, tunc quilibet ex istis respectu descendẽtium ab altero fratre habet nomen, unde respectu filii sui fratris dicitur Patruus, respectu nepotis sui fratris dicitur Patruus Magnus, *l. 10. §. Patruus Magnus. D. de grad. affinit.* ubi etiam dicitur quod ille, qui mihi Patruus Magnus est, is patri

tri

tri meo, vel matri meæ Patruus est; respectu pronepotis fratris, dicitur Propatruus, vel patruus major, respectu Abnepotis, dicitur Abpatruus, vel Patruus maximus dicta *l.* 10. §. *Patruus maximus*: respectu Atnepotis, dicitur Atpatruus, & respectu Trinepotis dicitur Tripatruus, *l.* 1. 3. *&* 10. *D. de grad. affinit. Instit. de grad. cognat.* & sic qui est frater tui patris, Patruus appellatur respectu tui, & grecè Patroos dicitur §. *Tertio gradu. Instit. de grad. cognat.* Frater tui Avi est tibi Patruus Magnus §. *Quarto gradu. Instit. cit. tit.* Frater tui Proavi est tuus Propatruus §. *Quinto gradu.* vel Patruus major dicta *leg.* 10. §. *Patruus major.* Frater tui Abavi est tuus Abpatruus §. *Sexto gradu. Instit. de gradib. cognat.* Frater tui Atavi est tuus Atpatruus; & frater tui Tritavi est tuus Tripatruus, ut patet ex sequenti figura.

Figura continens nomina Fratris respectu descendentium ab alio Fratre.



ADvertas quod Patruus .s. frater tui Patris potest dupliciter intelligi.s.ex patre, vel ex matre, ut dicit *tex. in l.Jurisconsultus.* 1 0 .§.*tertio gradu. D. de grad. affinit.* ubi ponit hunc exẽplum:

plum: *Avia paterna mea nupsit patri tuo, peperit te: aut avia paterna tua nupsit patri meo, peperit me, ego tibi patruus sum, & tu mihi*, ex quibus verbis habes, quod dantur duæ personæ, quæ eodem tempore ad invicem denominantur Patrui, sicut etiã denominantur ad invicẽ, Nepotes, quod licet videatur esse impossibile, tamẽ ita res se habet, nã eo ipso quod avia paterna mea nupsit patri tuo, & peperit te, tu es frater mei patris, qui etiam ex dicta avia mea natus est, frater autem mei patris est mihi patrus: similiter dum avia paterna tua nupsit patri meo, & peperit me, ego sum frater tui patris, quia ex eadem matre nati sumus, ac per consequens sum tuus patruus, & ita clarè sequitur, quod duæ personę ad invicem dicũtur patrui, & Nepotes, & ideo *tex. in d. §. tertio gradu.* dicit. *Idẽ evenit si mulier altera alterius filio nupserint*, vel ut legitur in Florentinis, *nupserit, nã qui ex his masculi nati sunt, iis invicem Patrui sunt.* Si verò ex dictis matrimoniis non nascantur masculi, sed nascantur fęminæ, tunc illæ ad invicem Amitæ dicuntur, quia soror tui patris est tibi Amita, dicta *l. Jurisconsultus.* 10. *§. amita.* & quia fęmina, quę nascitur ex tua amita soror est tui patris, sicut tu soror etiam es patri illius, ideo ad invicem Amitæ estis, ut expresè in dicto *§. tertio gradu.* habetur, quod si ponatur ex una parte Mater, & Filia, & ex alia parte Pater, & Filius, Mater illa matrimonium contrahat cum dicto filio, ex quo matrimonio nascatur filia fęmina, pater vero matrimoniũ contrahat cum prima filia dictæ mulieris, ex quo matrimonio nascatur masculus, tunc filius istæ qui ex patre nascitur Patruus dicitur respectu filiæ fęminæ quæ ex altero matrimonio nascitur, quia est frater patris illius, talis verò fęmina respectu filii, qui ex patre nascitur Amita dicitur, sit exemplum, ponamus Bertam Matrem, & Antoniam Filiam, ex alia parte ponamus Cajum Patrem, Petrũ Filium, Berta matrimonium contrahit cum Petro, & generat Franciscam, Cajus matrimoniũ contrahit cum Antonia, & generat Januarium, in tali casu, quia Januarius est frater consãguineus Petri, dicitur Patruus respectu Franciscæ, quæ est filia Petri, & Frãcisca Amita dicitur respectu Januarii, quia est soror Antoniæ, & hoc modo intelligitur, *tex. in dicta l. Jurisconsultus.* 10 *§. tertio gradu.*


Si verò frater consideretur respe-

ſpectu deſcendentium ex ſorore, tunc reſpectu filii ſororis dicitur Auunculus ; reſpectu Nepotis ſororis dicitur Auunculus Magnus.i.aviæ frater , unde qui Patri meo, vel Matri meæ Auũculus eſt, is mihi eſt Auunculus Magnus d.*l.10.*§.*Auunculus Magnus* ; reſpectu Pronepotis dicitur Proauunculus, ſeu Auunculus major dicta *l.*10.§.*Auunculus major*: reſpectu Abnepotis, dicitur Abauunculus , vel Auunculus maximus dicta *l. 10.*§.*Auunculus maximus, is eſt Abaviæ frater, patris, vel matris, Auunculus major*. reſpectu Atnepotis , dicitur Atauunculus ; & reſpectu Trinepotis dicitur Tritauunculus , ut habes in ſequenti figura.



Arbor

Figura continens nomina Fratris respectu descendentium ex Sorore.




Ex hac figura patet, quod frater tuę matris, tuus Auunculus dicitur. *l. Jurisconsultus. 10.* §. *Auunculus. D. de grad. affinit.* Unde sicut supra dictum est de Patruo, ita hic de Auunculo dicimus,

cimus, puta sit Cajus Pater habens Franciscam filiam, sit Januarius Pater, & Berta filia, si Cajus matrimonium contrahit cum Berta, & Januarius cum Francisca, tunc si ex dictis matrimonijs nascantur masculi, illi invicem Auunculi dicuntur: si verò nascantur fœminæ, tunc invicem Matertere dicuntur, quod si ex uno matrimonio nascatur masculus, & ex alio nascatur fęmina, tunc istæ masculus Auũculus nominatur, quia est frater matris dictæ puellæ, & talis puella Matertera dicitur respectu illius, ut patet ex cit. § *Auunculus*.

Si lineæ istæ collaterales originentur à Sorore, & Fratre, etiam Soror respectu descendẽtium ex Fratre suas habet denominationes, nã respectu filii sui fratris dicitur Amita, respectu illius Nepotis dicitur Amita Magna: respectu Pronepotis, dicitur Proamita, vel Amita major: respectu Abnepotis dicitur Abamita; respectu Atnepotis dicitur Atamita; & respectu Trinepotis dicitur Triamita; ut in hac figura habes.

Arbor

Figura continens nomina Sororis respectu descendentium à Fratre.




EX hac figura patet, quod Amita est soror mei Patris, *l. Jurisconsultus. 10. §. Amita. D. de grad. affinit.* Amita Magna est soror mei Avi, & mei Patris, vel matris Amita, dicta *l. 10. §. Ami-*

ta Magna. Proamita, vel Amita major est soror mei Proavi, & mei Patris, vel Matris Amita Magna, dicta *l.* 10. §. *Amita major*. Abamita, vel Amita maxima est mei Abavi soror, & mei Patris, vel Matris Amita major, & sic de reliquis discurras.

Quando lineæ collaterales originantur à Sororibus, tunc quælibet ex dictis Sororibus habet suam denominationem respectu descendentium ex alia, nam respectu filii suæ sororis denominatur Matertera, *l.* 10. §. *Amita ea est. D. de grad. affinit.* respectu nepotis suæ sororis dicitur, Matertera Magna; nam quæ est meæ Aviæ soror, & mei patris, vel matris Matertera, est mihi Matertera Magna, dicta *leg.* 10. §. *Matertera Magna*. respectu Pronepotis suæ sororis, dicitur Promatertera, seu Matertera major, quæ est soror tuæ Proaviæ, & tui Patris, vel Matris Matertera Magna, dicta *l.* 10. §. *Matertera major*: respectu Abnepotis suæ sororis dicitur Abmatertera, vel Matertera maxima; hęc .n. est Abaviæ soror, patris, vel matris tuę Matertera major, dicta *l.* 10. § *Matertera maxima*: respectu Atnepotis suæ sororis dicitur Atmatertera; & tandem respectu Trinepotis dicitur Trimatertera, ut in sequenti figura habes.

Figura continens nomina Sororis respectu descendentium ab alia Sorore.



ADvertas quod post capita linearum collateralium .s. post fratres, & sorores à quibus incipiunt lineæ collaterales aliæ personæ non habent ad inuicem speciale nomen, nisi tantùm fra-

 tres,

tres, & sorores Consobrini, vel Patrueles, &c. & eorum filii ad invicem, ut in sequenti quęsito dicemus, undè quando persona unius lineæ collateralis vult aliam personam alterius lineæ nominare, quę non sit caput lineæ, potest dicere, quod illa est sui Patrui, Auunculi, Matertere, &c. filius filia, vel est sui Patrui Magni, Auunculi Magni, &c. filius filia, & sic de reliquis, ut clarè habetur in *l. Jurisconsultus. 10. D. de grad. affinit.* quamvis usque ad filios Patrui Magni, Auunculi Magni, Matertera Magnæ, & Amitæ Magnæ habeantur propria nomina, quibus ad invicem appellari valent, nã vel dicuntur fratres Consobrini, Patrueles, vel Amitini, vel dicuntur Propriores Sobrini, vel Sobrini Sobrineque; pro cujus clariori intelligentia.

QVÆRES III.

Qui dicuntur Fratres Patrueles, *vel* Consobrini, *& qui sunt* Propriores Sobrini?

Dictum est in pręcedenti quęsito, quod descendentes ex collateralibus usq; ad secundam generationem habent suũ speciale nomen, ita sunt Fratres Consobrini, vel Patrueles, &c. sicut etiam sunt Sobrini Sobrineque, & ita in quarto, quinto, & sexto gradu collateralium (numeratione facta de jure civili) dantur nomina particularia, ulterius verò nomina non habentur.


Fratres igitur Patrueles sunt illi, qui ex duobus fratribus descendunt, & sic filii duorum fratrum dicuntur ad invicem fratres Patrueles, sicut fœminæ dicuntur sorores Patrueles, *l. Jurisconsultus. 10. §. eodem gradu. D. de grad. affinit.* Filii verò qui nascũtur ex fratre, & sorore dicuntur fratres Amitini, Sorores Amitinæ, dicto *§. eodem gradu.* Filii tandem qui nascuntur ex duabus sororibus dicuntur Fratres, & Sorores Consobrini, Consobrinę. Verùm tamen est quod filii tuę Amitę te Consobrinum appellant, & tu illos Amitinos appellas *Instit. de grad. cognat. §. quinto gradu.* Ista sunt nomina quibus jure civili denominantur filii fratrũ, vel sororum quando inter se comparantur, quamvis vulgus omnes istos Consobrinos appellet absque ulla differentia, *l. 1. §. quarto gradu. D. de grad. affinit.* vide *Cavalcan. part. 2. decis. 12. num. 2. & part. 5. decis. 22. num. 46.*

Advertas quod frater Patruelis, Amitinus, vel Consobrinus (idem

(idem de sorore dicas) respectu immediati descendentis ab altero fratre Patruele, Amitino, Cõsobrino dicitur Proprior Sobrinus, Proprior Sobrina. *Instit. de grad. cognat.* §. *quinto gradu.* Frater .n. Patruelis, Amitinus, vel Consobrinus respectu descendentis ex altero fratre Patruele, &c. non dicitur Patruus Magnus, Auunculus Magnus, vel Amita Magna, Matertera Magna, quia est filius, vel filia Patrui Magni, Amitæ Magnæ, Auũculi Magni, Materteræ Magnæ, *l.* 1. §. *quinto gradu. D. de gradib. affinit. Instit de gradib. cognat.* §. *quinto gradu.* ibi: *Item fratris Patruelis, vel sororis Patruelis, Consobrini, & Cõsobrinæ, Amitini, vel Amitinæ filius filia, Proprior Sobrino, Proprior Sobrina: hi sunt Patrui Magni, Amitæ Magnæ, Auunculi Magni, Materteræ Magnæ, filius filia.* Et ideo in dicta *l.* 1. §. *quinto gradu.* dicitur quod proprius Sobrino, & proprius Sobrina sunt filius filia Patrui Magni, Amitæ Magnæ, Auunculi Magni, & Materteræ Magnæ; unde respectu illius respectu cujus verificatur Patruus Magnus, Auunculus Magnus, &c. verificatur etiam, quod descendens ex Patruo Magno, Auunculo Magno, &c. dicatur proprior Sobrinus, proprior Sobrina, hoc est Patris, vel Matris ejus de cujus cognatione quæritur, Consobrinus, Consobrina, *l.* 2. *D. de gradib. affinit.* ubi Consobrinus accipitur, secundum vulgarem significationem, prout comprehendit fratres, & sorores Patrueles, et Amitinos, vel Amitinas dicta *l.* 2. *juncta, l.* 1. §. *quinto gradu. D. de gradib affinit.*

Advertas tandem, quod descendentes ex fratribus, vel sororibus Patruelibus, Consobrinis, vel Amitinis etiam inter se habent speciale nomen, nam ad invicem appellantur Sobrini, Sobrineque, *l.* 3. *D. de gradibus affinitatis, Instit. de grad. cognat.* §. *sexto gradu.* undè *Cujac. ad tit.* 8. *ff. lib.* 38. *unde cognat.* dicit, quod Consobrini sunt inter se quarto gradu: ego verò à filio mei Consobrini, cui dicor Proprior Sobrino, sive Proprius Sobrino sum quinto gradu, Consobrinorum verò filii inter se sunt sexto gradu, & propriè isti Sobrini, Sobrineque appellantur, filius verò mei Sobrini est mihi Sobrino natus, & ego Sobrino nato sum Patris ejus Sobrinus, & septimo gradu disto. Sed quia ista oculari inspectione clariora evadunt, ideo sit sequens figura,

IN



IN hac figura habes descendentes ex sororibus cum eorum denominationibus, si verò vis habere descendentes ex fratribus, tunc eodem modo formetur figura, & solùm ubi dicitur : *Sunt fratres, & sorores Consobrini*, dicas : *Sunt fratres, & sorores Patrueles*, sicut si descendunt ex fratre, & sorore, dicuntur fratres, & sorores *Amitini*, vel *Amitinæ*, & hoc secundum propriam significationem, quia vulgus omnes istos absque ulla differentia Consobrinos appellat, *l.p. §.quarto gradu. D. de grad. affinit.* in reliquis verò figura non est mutanda.

CAPUT TERTIUM

De lineis Arboris Consanguinitatis.

ARbor consanguinitatis, quę oculis proponitur ad ostendendum cohærentiam cognatorum, illorumque proximitatem, vel distantiam, lineis distinguitur, & partitur, ideo postquàm in præcedentibus capitulis de arbore consanguinitatis, & de personis ex quibus talis arbor construitur, vidimus, congruenti ordine videndum remanet de lineis Arboris Consanguinitatis. Dixi

Dixi de lineis Arboris Consanguinitatis, quia hoc nomen *Linea*, multas habet significationes. Primo .n. apud Antiquos significabat funiculum, quo ad perpendiculum utebantur *Vitruu. lib. 2. cap. ultim.* Secundo linea sumitur pro filo, vel cordula, quo utuntur artifices, vel alii ad rem directò dividendum, quo sensu sumitur in *l. inter eos. 29. D. de acquir. rer. dom.* ibi: *Quantum .n. ante cujusque eorum ripam est, tantùm, veluti linea in directum per insulam transducta, quisquis eorum in ea habebit certis regionibus*. Tertio accipitur pro filo, vel cordula ad pisces capiendos Martialis Epigr. 104. lib. 5.

Tremulave captum linea
trabit piscem.

Quarto accipitur pro filo Margaritarum, seu serto, *l. si quis. 53. §. si linea Margaritarum surrepta sit. D. de furt. l. lineam Margaritarum. 26. ff. ad l. falcid. l. si servus. 27. §. si cum maritus uxori margaritas extricatas dedisset in usū, eàque invito, vel inscio viro perforasset, ut pertusis in linea uteretur, &c. D. ad l. aquil. l. fin. §. fin.* ibi: *Quæcumque sepultura mea causa feram ex ornamentis, lineas duas ex Margaritis, &c. D. de aur. & argen. leg.* Quinto linea à Mathematicis, & Geometris accipitur pro longitudine sine latitudine, & altitudine, Aulus *Gell. lib. 1. noct. atticar. cap. 20.* in quo sensu definitur: *Est longitudo sola ex fluxu puncti continuata, & terminus ejus communis, punctum. Vel est longitudo sine latitudine, cujus extrema sunt duo puncta, ita Euclid. in element. in princip.* Sexto linea accipitur multoties pro longo sedendi ordine, ut nonnulli interpetrantur illud Ovid. 1. de art. amand.

Et benè te cogit, si nolit linea
jungi,
Quæ tibi tangenda est, lege
puella loci.

& illud ejusdem amoribus lib. 3. elegia 2.

Quid frustra refugis? cogit
nos linea jungi.

Octavo linea accipitur pro pertica longiori, ad arcendum populum in ludorum spectaculis. Nono accipitur pro signo de creta quo utebantur Romani in ludorum celebratione, *Lud. Cæli. lib. 3. cap. 14.* Et decimo à Legistis, & Canonistis linea accipitur pro ordine, & dispositione personarum, quæ sanguine inter se connexę sunt, & in hoc sensu dicitur linea arboris consanguinitatis, de qua.

QUÆ-

QUÆRES I.

Quid est linea Consanguinitatis.

Etsi plures definitiones de linea cõsanguinitatis referantur ab *Oliver. Text. in cõmentar. de gradib. cognat. q. 9. num. 2. & 5.* omnes tamen idem quoad substantiam dicunt; communiter igitur linea Cõsanguinitatis definitur: *Est collectio personarum ab eodem stipite descendentium, continens gradus, & distinguens numeros. Capyc. decis. 159. num. 5. Carol. de Rosa in Consuet. si quis, vel si qua. num. 353. de success. ab intest. Oliver. Textor. l. cit. n. 2.* vel secundum *Raymundum: est ordinata collectio personarum, per consanguinitatem conjunctarum, ab eodem stipite descendentium, diversos gradus continens, & eos ab unitate stipitis secundum numeros distinguens.* Vel secundum *Azo. in Summ. hujus tit. est series originis personarum ab eodem stipite descendentium, posteriores ab anterioribus ordinatè innuens descendere.*

Dicitur *collectio personarum*, tanquam genus conveniens cuilibet lineę in specie ascendentium, & descendentium, & transversalium, quia in qualibet linea plures personæ colliguntur, & situantur.

Dicitur *Ab eodem stipite descendentium*, ad denotandum, quod personæ ex quibus linea cõponitur ab eodem stipite descẽdere debent, sivè immediatè, sivè mediatè, nam *Consanguinitas* communiter definitur, *est attinentia personarum ex eo proveniens, quod una descendit ab alia, vel ambæ ab eadem.* Stipes est persona, seu parens communis à quo plures immediatè, vel mediatè descendunt, vel una ab alio, *gloss. in cap. quod dilectio. 4. & in cap. fin. de consang. & affinit. Oliver. Textor. in tit. de grad. cognat. quæst. 8 num. 23. & seqq.* ex quo stipite, ac descẽdentibus ab eo, postea causantur omnes tres lineæ arboris. s. descendentiũ, habito respectu ad Superiores; linea ascendentiũ, habito respectu ad Inferiores; & linea collateralium, habito respectu ad Transversales, unde clarè constat, quod ab eodem stipite descendere debent personę cõponentes lineam consanguinitatis. Et licet stipes in arbore consanguinitatis, quæ communiter depingitur, ponatur in illa cellula vacua, quę mediat inter lineam ascendentem, & descendentem, & sic videtur quod personę constituentes lineam ascendentium non possint ab illo stipite descendere, sicut descendunt

dunt personæ, quæ constituunt lineam descendentium. Veritas tamen est, quod omnes personæ ab illo stipite descendentes secundum diversam considerationem constituunt lineam ascendentium, & descendentium, ac denominantur ascendentes, & descendentes, prout supra in *hac 3.p.c.1.q.1.& 3.* dictum est, & illæ duæ lineæ una supra, alia infra stipitem, ita disponuntur in arbore ad clariorem intelligentiam, non quod revera stipes habeat lineam supra se, nisi casus esset respectu collateralium, quia tunc stipes dicitur habere lineã supra se, ut patet in arbore consanguinitatis, quæ communiter describitur, & tunc omnes illæ personæ, quæ sunt in lineis transversalibus ab illo stipite descẽdunt; in linea verò recta stipes dicitur persona illa à qua omnes aliæ descendunt, undè Adã respectu omnium est stipes, quia ab ipso omnes trahunt originẽ, & carnalem cognationem, *Oliver. Textor. l. cit. quæst. 6. n. 3.*

Negare tamen non possum, prædictam definitionẽ lineæ cẽsurabilem esse ex eo, quod dicit, *ab eodem stipite descendentium*, quia stipes propriè datur respectu transversaliũ, & per ordinem ad stipitem numerantur gradus collateralium, *cap. quod dilectio. & cap. fin. de consaguin. & affinit.* ideo talis definitio non videtur data de linea in communi, prout compræhẽdit lineam rectam & lineas collaterales, sed tantùm videtur data de lineis collateralibus, quę ab eodem stipite descendunt. Ad tollendam tamen quamlibet difficultatem, potest linea definiri, *est collectio personarum ab eodem communi sanguine originem trahentium sivè immediatè, sivè mediatè, diversos gradus continens, quibus, vel inter se, vel à communi sanguine distinguntur*, quę definitio si benè consideretur, omni caret oppugnatione, & de qualibet linea verificatur, quia non solùm personę lineę rectę ab eodem communi sanguine originem trahunt, sed etiam personæ, quę in lineis transversalibus sunt, & omnes isti Consanguinei dicuntur, Cõsanguinitate generaliter sumpta, quo sensu fuit à nobis supra in *2. p. cap. 4.* definita *est attinentia personarum ex eo proveniens, quod una descendit ab alia, vel ambæ ab eadem persona, sivè immediatè, sivè mediatè.*

Dicitur *Gradus continens* ad denotandum, quod in qualibet linea continentur personę, quę diversis gradibus distant, vel à stipite, vel inter se.

Dicitur, *& distinguens nume-*

ros, ad denotandum, quod linea distinguit personas consanguineas à stipite, secundum numeros graduum consanguinitatis ascendentium, descendentium & transversalium, & dividit inter se, numerando, & computando, aliquos in primo gradu, alios in secundo, & sic de similibus, secundum eorum numeros, ita hanc particulam explicat, *Oliver. Text. de grad. cognat. quæst. 9. num. 4.* Verùm hæc particula non videtur apponenda in definitione lineę, quia non est linea, quę distinguit numeros, sed in linea continentur personę, quę distinguntur secundum numeros graduum; ideo teneas definitionum lineæ, quam supra posui .s. quod *est collectio personarũ ab eodem communi sanguine originem trahentium sivè immediatè, sivè mediatè, diversos gradus continens, quibus vel inter se, vel à communi sanguine distinguntur.*

Aliam lineæ definitionem tradit *Petrus Loriot. in. tract: de grad. affinit. axiom. 91.* dicendo, quod *linea est proximitatis separatio*; cum enim cognatio nihil aliud sit, quam proximitas, linea nihil aliud erit, quam proximitatis separatio, & hoc probat ex *l. stemmata cognationum directo limite in duas lineas separantur, quarum altera superior est, altera inferior. 9. D. de gradib. affinit.* Idipsum dicit, *Oliver. Textor. l. supra cit. num. 4. in fine.*

Hæc definitio lineę potest dupliciter intelligi. Primo quod linea est separatio proximitatis .s. divisio proximitatis, & cognationis in suas partes, quas continet, & in hoc sensu potest admitti talis definitio, quia lineę dividunt proximitatem, seù cognationem in ascendentem, descendentem, & collateralem, sicut totũ per suas partes dividitur, & explicatur. Secundo potest intelligi, quod linea est separatio proximitatis idest proximitatis segregatio, & in hoc sensu est falsa, quia sequeretur, quod nõ essent ejusdẽ cognationis personę existentes in lineis transversalibus, quia sunt in diversis lineis, & linea importat separationem cognationis.

Linea ergo non segregat cognationem, sed importat unionem cognatorum, licet una linea respectu alterius habeat separare cognatos, inquantum in linea ascendentium continentur Cognati Generantes, in linea descendentium continẽtur Cognati Geniti, & in lineis transversalibus continentur cognati, qui ad invicem non sunt nec generantes, nec geniti, licet ab eodem stipite descendant, & ita

lineæ

lineæ important separationem cognatorum, quantum ad denominationem generantis,& geniti, nō verò important separationem cognationis, & proximitatis; Undè stemma cognationum .f.arbor cognationum in duas lineas separatur, quarum altera superior est, altera inferior, & ex lineis inferioribus, per ordinem ad superiorem, habentur lineæ transversales, ut notat. in *l.stemmata. 9. D. de grad.affinit.* Stemma.n.erant majorum imagines, quæ in atriis magnatum ad nobilitatis ostentationem collocari solebant, unde *Cic. in L.Calpurn.* Pi*sonem*, inquit: *Obrepsisti ad bonores errore hominū, commendatione fumosarum imaginum: quarum simile habes nihil, præter colorem*, in quo loco fumosas imagines appellavit antiquissimi generis stemmata, & ideo subdit: *Prætura item majoribus delata est tuis; noti erant illi mortui: te vivum nondum noverat quisquam. Me cùm quæstorem in primis, ædilem priorem, prætorem primùm cunctis suffragiis Populus Rom.faciebat: homini ille honorem, non generi: moribus non majoribus meis: virtuti perspectæ, non auditæ nobilitati deferebat*. Illi verò qui jus gentilitatis, & majorum imagines nullas habebant, filii terræ, & à se orti, ac homines novi vocitabantur. Cic. l. cit. ibi: *Omnis.n. honores Populus Rom.mihi ipsi homini novo, detulit.& lib. 7. Epist.* 9.dicit: *Cn. Octavius, tuus familiaris summo genere natus est, terræ filius,&c.* ubi per ironiam dicit illum summo genere natum, & *Persius Satyr. 6. Presto est mihi Manius hæres, Progenies terræ.*

Mos etiam fuit olim Romæ, ut imagines majorum in funeribus ducerentur, ad gentilitatem ostendendam. Cic. lib. 2. de Orator. ibi: *Quid illam anum patri nuntiare vis tuo? quid illis omnibus, quorum imagines duci vides? quid majoribus tuis?* Hæ imagines, quę stemmata vocabātur, ex cera erant, per armaria disposita, undè Satyricus dixit.

Tota licet veteres exornent undique ceræ
Atria, nobilitas sola est, atque unica virtus.

& Plin.lib.trigesimo quinto, cap. 2.Apud majores, inquit, *In atriis imagines erant, quæ spectarentur, non signa externorum artificum, nec æra, aut marmora: expressi cera vultus singulis disponebantur armariis, ut essent imagines, quæ comitantur gentilitia funera, semperque defuncto aliquo, totus aderat familiæ ejus, qui unquam fuerat, populus. Stemmata verò lineis discurrebant ad ima-*

gines pictas.Tablina codicibus implebantur, & monumentis rerum in magistratu gestarum. Aliæ foris, & circa limina animorum ingentium imagines erant, affixis hostium spoliis, quæ nec emptori refringere liceret,triumphabantq; etiam dominis mutatis ipsæ domus:& erat hæc stimulatio ingens, exprobantibus tectis,quotidie imbellem dominum intrare in alienum triumphum. Ex quo *Budeus in pannect.in l. 2. de orig. jur.* infert, quod posteriora tempora, pro imaginibus, insignia gentilitia habuerunt,quę vulgo *Arma* vocantur, quæ etiam virtutis pręmia fuerunt, ac rerum præclarè gestarum decora;Notat tamen *Nicolau.ab Ubald. in tract. de success.ab intest. par.1.num.*53. quod bastardi non possunt portare Arma pura parentum, quia sordes non merentur computari inter præcipuos,undè extra Italiam differunt arma illegitimorum ab armis illorum,qui legitimi sunt, inquantum,illegitimi portant arma legitimorum, sed ad denotandum, quod stirps est infecta, superaddunt quandam barram per transversum,quę incipit à sinistris & terminatur ad dexteram,sinistra autem est pars illa, quæ dexteram hominis respicit,& dextera est pars illa,quę sinistram hominis respicit,videas citat.Doctorem,quia ponit exēplum; *de Bottis ad tract. Bartol. de insigniis,& armis num.*11. ubi citat *Bald.in l.filium.D.de his,qui sunt sui,vel alieni* jur.& Cottam *in verbo Bastardi.*

Ex hoc habes intelligentiam legum asserentium, quod damnatione reorum amittūtur imaginum jura, ac nobilitatis insignia, prout DD. interpretantur, *tex.in leg.eorum.* 24. *D. de pœnis. Hieronym. Gigas de crimin. læsæ Majest.lib.3.rubric.de rebellib.qu.* 23.ubi refert, quod domini Veneti effigiem Marini Faletri eorum Ducis,qui per Tyrannidem Imperium sibi vendicare machinabatur, & propterea decapitatus fuerat,ex aula ubi magnę comitiæ celebrantur, in qua singulorum Ducū effigies pictæ sunt, deleri fecerunt, insimul cum ejus insigniis:& *Cic.in oratione pro P. Sylla*, qui fuerat ambitus damnatus,inquit: *Nihil video esse in hoc P.Sylla, judices, odio dignum, misericordia digna multa. Neque enim nunc propulsandæ calamitatis suæ causa supplex ad vos,judices,confugit:Sed ne quæ generi, ac nomini suo nota nefariæ turpitudinis inuratur.*Nam *ipse quidem, si erit vestro judicio liberatus, quæ habet ornamenta, quæ sola-*

solatia reliquæ vitæ, quibus lætari, & perfrui possit? domus erit, credo, exornata: aperientur majorum imagines: ipse ornatum, ac vestitum recuperabit. Omnia, judices, hæc amissa sunt: omnia generis, nominis, honoris insignia, atq; ornamenta unius judicii calamitate occiderunt. Sed ne extinctor patriæ, nè proditor, nè hostis appelletur, nè hanc labem tanti generis in familia relinquat, id laborat, id metuit, cui honoris integros fructus non sit traditurus, nè æternam memoriam dedecoris relinquat. Sicut ergo propter delicti atrocitatem imaginum jura amittebantur, idest tollebantur imagines, quæ ad illius honorẽ, ac suorum depictę, vel erectæ erant, ita ad perpetuam delinquentium infamiam depingebantur delinquentes, puta proditores, *Angel. Aretin. in tit. de actios. §. pænales. in princip.* ubi *Jas. n. 13. & Cic. in orat. pro P. Sylla*, inquit: *Si quæris, qui sint Romæ Regnum occupare conati, ut nè replices annalium memoriam, ex domesticis imaginibus invenies.*

Stemmata autem quibus Romani splendorẽ sanguinis ostentabant, erant ad modum coronę, nam in atriis plerumque disponere solebant majorum suorum imagines cereas, in speciem coronę, lineis quibusdam cognationum gradus significantibus, unde stemma multoties pro corona accipitur; quamvis Alciatus non *Stemmata*, sed *Schemata* velit esse legendum, eo quod Schema Imago, & Figura est. Vide Calu. *in lexic. Jur. verb. Stemmata*, idem dicit *Franc. Hotoman. de grad. cognat.*

Vera tamen significatio hujus vocis *Stemmata*, est, quod olim quicquid de spoliis hostium supererat, vel suspendebatur ad valuas templorum, in anathemate oblivionis. s. in testimonium, quod semel in sacros usus res destinatæ; non poterant ampliùs in communem usum converti, ut intelligitur illud Judith cap. 16. ib: *Obtulerunt omnes holocausta, et vota, & repromissiones suas. Porro Judith universa vasa bellica Holofernis, quæ dedit populus, & conopeum, quod ipsa sustulerat de cubili ipsius, obtulit in anathema oblivionis.* Quod verbum explicans Justinus Martyr, ita dicit, *Anathema id dicitur, quod Deo est dicatum, atque destinatum, & in communem usum ampliùs non convertitur.* Silius lib. 1. Punicor.

In foribus sacris, primoque in limine templi.
Captivi currus, belli decus, armaque rapta.
Pugnantium Ducibus sævæque

que in Marte secures.

Perfossi clypei, & servantia tela cruorem.

Claustraque partarum pendent.

Vel hostium spolia suspendebantur in foribus, postibusque victorũ,& tunc *Stemmata*,& *Insignia*, dicebantur, quia iis insigniebantur triumphantes,ut posteris essent monimentum perẽne gloriæ, & honoris. Ovid.lib. 3.trist.

Video fulgentibus armis conspicuos postes....

Sicut etiam quicquid felix faustumve in bello occurebat,in stẽma adscribebatur;sic Aquilę, stemma erant Imperii Romani teste Lucan. lib. 1. de bello Phars.

.... Infestisque obvia signis Signa, pares Aquilas, & pila minantia pilis.

Babilonii Columbam in stẽmata adscripserunt, Athenienses noctuam, Thebani Sphyngẽ, Persę Solem, & sic de reliquis. Ponebãt igitur Antiqui stemmata ista in atriis, quæ stemmata lineis discurrebant ad imagines depictas, vel cereas.

QUÆRES II.

Quotuplex est linea consanguinitatis?

TRes lineæ communiter à DD.assignantur, una dicitur Linea *Ascendentium*, alia *Descendentium*, & tertia *collateralium, sive transversalium*, idque probant ex *l.1.D.de grad. affinit.*ibi:*Gradus cognationis alii superioris ordinis sunt, alii inferioris,alii ex trãsverso sivè à latere. Superioris ordinis sunt Parentes:inferioris,Liberi, ex transverso, sivè à latere fratres, & sorores,liberique eorum.* Alii duas lineas assignant, quarum altera est linea *Superior*, & altera *Inferior*, idque probant ex *l.stemmata.9.D.de grad affinit.* ubi habetur: *Stemmata cognationum directo limite in duas lineas separantur, quarum altera superior est, altera inferior. Ex superiore verò, & secundo gradu, transversa linea pendent.*

Omnes isti DD. rectè loquũtur,nec aliquam oppositionem inter se habent, nisi in hoc,quod primi assignant tres lineas æquè principaliter; secundi verò assignant duas lineas principaliter, ex consequẽti verò assignant lineas collaterales, ut ex cit. *tex. patet.*

patet. Et quidem respectu arboris cognationis, quæ communiter habetur, optimè assignantur illæ tres lineæ, ex quibus arbor illa componitur, & tota cognatio explicatur, ut consideranti patet: ponitur enimin tali arbore cellula vacua in medio, respectu cujus, lineæ nomen desumūt, quia personæ quæ sunt supra talem cellulam, constituunt lineā ascendentium, personæ quæ sunt infra talem cellulam, cōstituunt lineam descendentium, personæ verò, quę ex illius latere sunt, cōstituunt lineas transversales, & ita per ordinem ad talem cellulam sumitur numeratio, & computatio graduum omnium personarum in ipsa arbore positarū, Rigorosiùs tamen loquēdo, dico, quod una est linea.s. recta, quia lineę *Collaterales* non sunt propriè lineę de per se, sed sunt duæ lineæ rectæ, ejusdem generantis, quæ ad invicem transversales, seu collaterales dicuntur, ut filij duorum fratrum dicuntur esse in linea transversali, & tamen quilibet eorum descendit linea recta à cōmuni eorum avo, *Oliver Te tor. de gradi. cognation. quæst. 9. num. 16. & 23. gloss. in cap. quod dilectio. 3. verbo Descendentem de consang. & affinit*. Linea ergo recta est illa, quæ continet parentes, & liberos.s. generantes, & genitos ordine successivo, unde S. Hilarius *comment. in Matth. can. p.* inquit: *Gressus quē Mattheus in ordine regiæ successionis ediderat, & quem Lucas per Sacerdotalem ordinem dinumerat, uterque agnationem in domino utriusque tribus significat, & rectæ generationis gradum ponit*, in qua generatione descripta ab Evangelista Mattheo, quæ recta dicitur, habentur generantes, & geniti. Linea collateralis est ordinata collectio personarum ab eodem stipite descendentium, quarum una in alterius generationem non influit .s. quarum una in generationem personæ alterius lineæ collateralis nullo modo influit, cum personæ constituentes dictas lineas non sint adinvicem nec generantes, nec genitæ; incipiunt dictæ lineæ collaterales à fratribus, vel sororibus, & licet quælibet ex dictis lineis absolutè recta dicatur, tamen ad invicem comparatæ, dicuntur transversales, sive collaterales. *Oliver. Textor. loc. cit.*

Hinc linea recta una est, denominatur tamen linea recta *Ascendentium*, vel *Descendētium*, inquantum personæ constituentes dictam lineam, diversis nominibus appellari possunt, secūdum quod considerantur, vel

ut

ut generantes, vel ut genitæ, undè istæ personæ Pater, Auus, Proauus, Abauus, Atauus, Tritauus, quæ dicuntur constituere lineam ascendentium, inquantum exprimuntur nominibus significantibus generationem activam, constituunt etiam lineã descendentium, si eis applicentur nomina genitorum, quia Tritauus E.G. est primus generans, Atauus est ejus filius, Abauus est ejus nepos, Proauus est ejus Pronepos, Auus est ejus Abnepos, & Pater est ejus Atnepos, & ita sicut eadem numero schala est in qua ascēditur, & descenditur, ita eadē numero linea recta est, in qua dãtur ascēdētes, & descendētes, licet nō explicentur suis distinctis nominibus generantium, & genitorum, quæ expressio, ita separata, & distincta habetur in arbore posita à Justiniano, cum illa cellula vacua, ut dictum est. Hoc idem tenet *Olivetor. Textor. in tit. de grad. cognat. quæst. 9. nu. 13. Sanchez de matrim. disp. 50. num.* 2. ubi dicit, quod linea recta ascēdentium, & descendentium re ipsa eadem est, quia eodem gradu ascenditur, & descenditur in schala, distinguitur autem ratione, nam quatenus per illã ascenditur ad stipes dicitur ascendentium: quatenus à stipite descenditur ad sobolem à tali stipite procedentem, dicitur descendentium.

QUÆRES III.

Quotuplex est linea Transversalis, seu collateralis.

Lineam Transversalem dividunt DD. Primo in lineam transversalem superiorem, inferiorẽ, & purè transversalem, seu in ascendentem, descendentem, & purè collateralem, ***Oliver. Textor. de grad. cognat. quæst. 9. num. 18.*** in linea superiori transversali sunt Auunculus, Matertera, Patruus, Amita, Patruus Magnus, Amita Magna, Auunculus Magnus, Matertera Magna, Propatruus, Proamita, Proauunculus, Promatertera, Abpatruus, Abamita, Abauunculus, Abmatertera; omnes enim isti sunt mihi transversales, & superiores, *gloss. in Instit. de grad. cognat. §. Quarto gradu. verb. Patruus Magnus.* de quibus egimus supra in *cap. p. q. 2.* In inferiori linea transversali sunt Fratris sororisq; filius filia, Nepos, Neptis, Pronepos, Proneptis, &c. omnes enim isti, & similes sunt mihi transversales, & inferiores. Purè transversales sunt, qui non sunt mihi superiores, nec inferiores

riores, ut frater soror, nepos neptis, &c.

Secundo, lineam transversalem, seu collateralem dividunt in lineam transversalem æqualem, & transversalem inæqualē. Linea transversalis ęqualis est, quando personæ transversales, de quibus distantia quæritur, æqualiter distant à communi stipite, ut frater, & soror, qui æqualiter, & eodem gradu distant à patre, eorum communi stipite, idem dicas de filiis fratrum, & sororum, de nepotibus, &c. Linea collateralis inęqualis est, quando personæ transversales, de quibus distātia quæritur, non eodem gradu distant à stipite, sed una est à stipite remotior altera, ut patet in fratre, & nepote alterius fratris .s. in Patruo, & filio alterius fratris, in Patruo Magno, & nepote fratris, & sic de reliquis; semper.n. ac persona unius lineæ magis accedit ad stipitem, quam alia persona alterius lineę, dicuntur esse in linea collaterali inęquali, quādo verò una nō magis accedit ad stipitem, quam altera, dicuntur esse in linea collaterali æquali, *Oliver. Textor. loc. cit. num. 19. & seqq.*

Ego tamen dico quod non benè appellatur linea collateralis æqualis, & inæqualis, quia æqualitas, & inęqualitas nō cadit supra lineam, nec de illa prædicatur, sed cadit supra personas, & gradum, seu distantiā, & ideo dico, quod personæ, quæ sunt in lineis collateralibus, vel sūt in gradu æquali, vel in gradu inæquali; idest, vel æqualiter distant à stipite, vel inæqualiter, quę est propria loquutio, quamvis abusivè possit dici linea collateralis æqualis, & inæqualis.

QVÆRES IV.

Quid est lineam accipi Effectivè, quid Contentivè, sive Comprehensivè, aut Subiectivè?

Linea paterna dupliciter accipitur. Primo Effectivè. Secundo Contentivè, vel Comprehensivè, sive Subiectivè. Linea Effectivè accepta est, linea paterna, quam pater effecit, seu cujus caput est pater. *Ancb. cons. 59. Covarr. in 4. lib. decretal. part. 2. cap. 6. §. 6. num. 5. Fontanell. to. 1. dec. 36. num. 10. & seqq.* & in hoc sensu non sunt de linea paterna, nisi illi, qui à patre descendunt per lineam rectam. Linea Contentivè, Comprehensivè, sivè Subiectivè accepta est, linea paterna, in qua pater continetur, comprehenditur, & subjicitur, & in

in tali sensu comprehendit ascẽdentes, descendentes, & transversales patris, seu comprehendit omnes ab eodem stipite descendentes à quo descendit pater, & patris lineam attingentes, *Fontanell.l.cit.num.* 13. *Carol.de Rosa in consuet.si quis, vel si qua. num.*355.*& seqq.Peregr.de fideicom. art.*22.*num.* 24. *&* 26. ubi dicit, quod familia testatoris potest accipi effectivè, itaut descendentes ab ipso tantùm significet, & potest accipi contentivè, itaut contineat omnes de illa familia, sub qua, inspecto communi stipite, testator continetur.

Hæc divisio lineç solùm locum habet in linea patris, non matris, quia linea materna nunquam capi potest effectivè; cum fœmina non sit causa efficiens lineæ, sed filii, & descendentes ab ea, dicuntur de linea patris, cujus familiam sequuntur, non verò dicuntur de linea matris, nisi accipiatur linea matris cõtentivè, nam tunc descendentes ab ipsa, dicuntur de ejus linea, *Carol.de Rosa l.cit.n.* 361. *& seqq.* Sed de hoc, in fine hujus quæsiti.

Quando igitur de linea alicujus fit mentio, debet intelligi de linea effectivè, non verò de linea Contentivè, nisi ex circumstantiis non esset locus lineæ rectæ effectivè, quia tunc locus esse debet lineç collaterali Contentivè, *Covarr.l.cit.Fontanell.l.cit. num.* 11. *Peregr. l.cit. Carol.de Rorsa l.cit.num.*358. ut est casus *Consuet. Neap. Si quis, vel si qua.* per quam ad successionem defũcti vocantur illius proximiores, qui sunt in eadem linea, ut notat *Napod. ibid. num.* 164. & quia Consuet. supponit defunctum sine filiis, seu liberis decessisse, & sic sine descendentibus, qui essent in linea recta effectivè, ideo in tali casu linea non potest capi effectivè, sed accipi debet Cõtentivè. Absolutè ergo loquendo, quando de linea fit mentio, intelligitur de linea recta, non de transversali, & sic de linea Francisci dicuntur omnes ascendentes, & descendentes, sivè masculi sint, sivè fœminæ, transversales verò non dicuntur de linea Francisci, sed de alia linea, quamvis ab eodem stipite descendant, qua ratione, bannito Francisco, & omnibus de ejus linea, fratres Francisci non continentur in banno, *Peregr. de fideicom.art.*22.*num.*24. ubi advertit, quod descendentes ex filia Francisci, vel ex nepte sui filii non dicuntur de linea Francisci, quia non matris, sed patris lineam sequuntur.

Hinc linea paterna dicitur illa,

la, quæ originem habet, & descendit à patre, *Fontanell. tom. 1. decis. 56. num. 2. Covarr. l. cit. n. 5.* linea materna est illa, quę originem habet à matre, & ab ipsa descendit, *Dec. cons. 379. n. 4.* & hæc linea materna etiam dupliciter accipitur, nam vel accipitur pro illa linea in qua, vel sub qua mater continetur, & hoc modo, linea materna accipitur contentivè, & veniunt etiam transversales, quia transversales, ut sunt fratres matris, dicuntur de eadem linea in qua est mater, respectu patris, vel avi, *Dec. l. cit. num. 2. & 4.* Vel accipitur pro illa linea, quæ à matre procedit, & tunc accipitur linea effectivè, nec in tali linea collaterales matris comprehenduntur. *Dec d. n. 4.* qui *num. 5.* dicit, quod auus, & proauus maternus sunt de linea materna, *l. 2. C. de bonis maternis*, descendentes tamen ab avo, proavo, &c. non dicuntur esse de linea materna, *Bart. cons. 55. n. 3.* & ratio est, quia descendentes ab avo, vel proavo faciunt aliam lineam, quæ respectu lineæ matris est collateralis, & linea propriè intelligitur de linea recta sursum, & deorsum, non verò de linea ex latere, *Bartol. l. cit. Dec. l. cit. num. 5.* nisi accipiatur linea materna contentivè, quia tunc, ut dictum est, collaterales dicuntur de linea matris, inquantum continentur in illa linea, in qua mater continetur, undè non videtur verum, quod linea matris, nunquam capitur effectivè, ut supra dixi ex Carolo de Rosa; licet enim descendentes ex matre non sequātur familiam matris, sed patris, verè tamen à matre descendunt, & ita sunt de linea matris quantum ad consanguinitatem, respectu cujus dantur ascendentes descendentes, & collaterales, sicut dantur in linea paterna; per fœminam enim rumpitur linea paterna, & ab ea incipit cognationis origo, & ideo dicitur, quod fœmina est suæ familiæ caput, & finis, *l. 195. in fin. D. de verb. signif. Cancer. p. variar. c. 1. de subst. num. 49.*

Quando vero tractatur de successione in bonis provenientibus ex linea paterna, vel materna, non est attendenda prima origo, undè bona provenerunt, sed solùm videndum est à quo bona illa immediatè pervenerunt defuncto, nam de illius linea dicuntur esse bona, à quo defunctus immediatè illa habuit, *Carol. de Rosa in Consuet. Si quis, vel Si qua. n. 386. & seqq.* Undè si mulier, quæ fratrem uterinum habebat, fuit à patre dotata, vel hæres instituta, dein-

dè ista mulier de dictis bonis suã filiam dotavit, mortua ista filia sine liberis ab intestato, ei succedit d. frater uterius in bonis habitis à matre, quia dicta bona non dicuntur amplius paterna, sed materna, *Provenzal. in citat. Consuet. observat. 6. num. 10. & observat. 11.*

QUÆRES V.

An quando vocantur descendentes ex linea masculina, fœmina descendens ex masculo sit admittenda?

HÆc quæstio utilis est pro concessione emphyteutica, & pro fidejcommissis; nam multotiès res accipitur in Emphyteusim pro se, & liberis suis, per lineam masculinam descendentibus, vel res relinquitur alicui, & ejus liberis per lineam masculinam descendentibus, si in tali casu quis descendentes masculos non relinqueret, sed tantùm fœminam, quæ ex masculo descendit, quæritur an talis fœmina sit admittenda.

Resolutio hujus difficultatis ponitur à *Paul. de Castr. in l. maritus. 21. num. 5. C. de procurator.* ubi dicit, quod quando fœmina immediatè descendit à primo acquirente rem in Emphyteusim, vel à primo vocato ad fidejcommissum, tunc non est admittenda, licet videatur de liberis descendentibus per lineam masculinam, cum descendat ab ipso patre, & ratio est, quia linea acquirentis non incipit ab ipso acquirente, sed incipit à filiis, undè in filio masculo incipit linea masculina ipsius acquirentis, in filia verò fœmina incipit linea fœminina, & quia liberi per lineam fœmininam descendentes non sunt vocati, nec admittuntur, ideò nec ipsa femina est admittenda, cum idem judicium sit faciendum de principio, seu de capite, quod de descendentibus ab ipso capite. Quando verò fœmina non immediatè descendit à primo acquirente, sed descendit ab illius filio masculo, tunc quia dicitur descendens per lineam masculinam, admittitur; ita *Jason in l. Gallus. §. nunc de lege velleja. num. 15. D. de liberis. & posth.* qui hac distinctione conatur salvare, *Alexand. in eodem §. nu. 3.* afferentem, quod si testator instituat filios suos masculos, adjiciendo, se velle, quod hereditas sua vadat de uno in alium descendentem per lineã masculi nam, si unus ex filiis decessit nullis ex se masculis relictis, sed tantùm una fæmina, talis femina admittitur exclusis fratribus defuncti, quod

videtur contra determinationẽ, *Paul. de Castro, Sed Jas. l. cit.* dicit, quod *Paul. de Castro loquitur quando filia est prima descendentium illius acquirentis emphytheusim, & tunc benè ab ea incipit linea fœminina, cap. quod dilectio, & cap. fin. cum gloss. de consang. & affinit. unde cum ipsa filia fœmina sit principiũ lineæ fœmininæ, non admittitur; Sed decisio D. Alex. hic, filia non fuit prima descendentium testatoris, sed ejus pater, & alii filii masculi, ideo non potest dici, quod ab ea incipiat linea, & est pulchra, & vera solutio, & multum declarat prædicta.* Sed in hoc casu ego dico, quod si testator vocavit descendentes per suam lineam masculinam, tunc benè procedit interpetratio *Jason.* si verò vocavit descendentes per lineam masculinam sui filii, tunc non benè procedit, quia linea filii non incipit ab ipso filio, sed à filio filii, sicut linea testatoris non incipit ab ipso testatore, sed à suo filio, *Carol. de Rosa in Consuet. si quis, vel si qua. num. 376. & seqq* cumque filius in casu posito tantùm fæminam relinquat, non dicitur de linea masculina filii.

Advertas tamen, quod aliud est quẽ esse de descendẽtibus virilis sexus, seu per virilem sexũ, quo casu benè comprehenditur filia ex masculo, nepos verò descendens ex fœmina non comprehenditur, *Alex. l. cit. n. 3.* quia non est descendens, vel conjunctus per virilem sexũ; Aliud est esse de descendentibus ex linea masculina, quo casu nõ cõprehẽditur filia, cũ sit caput lineæ fœmininæ secundũ *Jason l. cit. n. 12.*

Advertas etiam quod licet secundum *Paul. de Castr. Jason. & Alex. locis cit.* linea alicujus non incipiat ab ipso, sed à primo descendente illius, ut dictum est, tamen id impugnatur ab *Additionat. ad Alex. consil. 53. num. 5. lit. B. vol. 6.* ubi dicit, quod linea masculina incipit à patre, vel à primo stipite masculino, sicut in mathematicis linea non est, seu non dicitur, posito primo puncto tantũ, sed incipit esse, vel dici, addito secũdo continuo pũcto, tamen non incipit à secundo, sed à primo puncto, nec finitur in penultimo, sed in ultimo puncto, unde linea cognationis incipit à patre vel stipite, licet nondum dicatur linea, quamdiù solus est. Hęc ibi.

Veritas tamen est, quod prima persona lineæ, à qua alii de linea procedunt, non debet cõputari in linea, quia non facit gradum, cum sit stirps, & ideo quando Emphyteusis est alicui concessa usque ad tertiam generatio-

rationem, primus acquirens non computatur, quia non est generatio, sed generans, & causa generationis, *Andr. Provenzal. ad Cōsuet. si quis, vel si qua. obseruat. 22. num. 29. & seqq.*

CAPUT QUARTUM
De Arbore Affinitatis.

PLenam Affinitatis explicationem in prima, & secunda hujus tractatus parte tradidi, undè circa talē cognationem nihil aliud explicandum remanet, quā formatio arboris affinitatis, ex qua deindè affinium gradus, ac lineæ intelliguntur, quia ut tradit *Prosdoc. de Comit. de affinit. n. 25. & Hieronym. Mangiaria de affinit. n. 7.* affinitatis arbor non institutione juris Candidatorū, sed usu magistrorum inventa est, ut ex ostensione ad oculum, ejus gradus meliùs intelligantur. In præsenti autem capitulo breviter explicabo, quomodo formanda est arbor affinitatis, mihi reservando in sequenti capitulo, regulas pro dignoscendis gradibus affinium.

Formatur autem arbor affinitatis secundum Jo: Andream, quem sequuntur *Prosdoc. de Comit. l. cit. n. 24. Hieronym. Mangiar. l. cit.* & communiter alii, hoc modo. In medio arboris ponatur linea imaginaria, in qua sint quatuor cellulæ, una sub alia, & in prima superiori scribatur *Primus gradus* in secunda *Secundus*, in tertia *Tertius*, & in quarta *Quartus gradus*. Deindè à latere dextro dictæ lineę ponatur alia linea continens alias quatuor cellulas, in prima scribatur *Frater*, in secunda *Fratris filius*, in tertia *Fratris Nepos*, & in quarta *Fratris Pronepos*. Ad dorsum dictæ lineæ, etiam ex latere dextro ponatur alia linea, etiam cum quatuor cellulis, in quarum prima scribatur *Uxor fratris olim relicta*, in secunda *Uxor filii fratris*, in tertia *Uxor nepotis fratris*, & in quarta *Uxor pronepotis fratris*. A latere sinistro dictæ lineę imaginariæ ponatur alia linea, cum quatuor cellulis, in quarum prima scribitur *Soror*, in secunda *Filia sororis*, in tertia *Neptis sororis*, & in quarta *Sororis Proneptis*. Ad dorsum dictæ lineæ ponatur alia, quatuor continens cellulas, in quarum prima scribatur *Vir sororis olim relictus*, in secunda *Vir filiæ sororis*, in tertia *Vir neptis sororis*, & in quarta *Vir proneptis sororis*, ut patet in sequenti figura.

Uxor

Uxor Fratris olim relicta	Frater	Primus gradus	Soror	Vir sororis olim relictus
Uxor filii fratris	Fratris filius	Secundus gradus	Sororis filia	Vir filiæ sororis
Uxor nepotis fratris	Fratris Nepos	Tertius gradus	Sororis Neptis	Vir Nepotis Sororis
Uxor Pronepotis Fratris	Fratris Pronepos	Quartus gradus	Sororis Proneptis	Vir Proneptis Sororis

Ponit etiam Joan. Andr. duas lineas reflexas, quarum una oritur à cellula illa *Frater*, & terminatur ad cellulam *Vir sororis olim relictus*, & in tali linea scribit *Primus genus affinitatis, quod hodie prohibitionem habet*; Alia linea reflexa incipit à cellula *Sororis*, & terminatur in cellula, ubi dicitur *Uxor fratris olim relicta*, & in tali linea reflexa etiam scribit *Primus genus affinitatis, quod hodie prohibitionem habet.*

Intelligentia hujus arboris consistit in hoc, ille duæ lineæ fratris, & sororis denotant consanguinitatem, quæ est inter personas in illis descriptas, & quia affinitas à consanguinitate oritur, seu melius, affinitas non oritur nisi inter consanguineos viri cognoscentis, & mulierem cognitam, vel inter consanguineos mulieris cognitę, & virum cognoscentem, ut supra dictum est, & illo gradu quo uni per cõsanguinitatem unitur, alteri per affinitatem conjungitur, ideo cũ sit primus gradus consanguinitatis inter fratrem, & sororem, secundum jus Canonicum, erit etiam primus gradus affinitatis inter personam fratris, & virum sororis olim relictum, sicut etiã inter sororem, & uxorem fratris olim relictam: præterea, quia secundus gradus consanguinitatis est inter fratris filium, & sororis filiam, ideo secundus gradus

dus

dus affinitatis erit inter fratris filium, & virum sororis filię, vel inter sororis filiam, & uxorem filii fratris, & sic de reliquis discurrere poteris usque ad quartum gradum, unde linea illa imaginaria numeros continens, quæ in medio arboris ponitur, indistinctè refertur ad gradus consanguinitatis, & affinitatis, & hac ratione Jo: Andreas posuit in præsenti arbore duas lineas reflexas, quarum una incipit à cellula illa *Frater*, & terminatur ad cellulam *Vir sororis olim relictus*; & altera incipit à cellula illa *Soror*, & terminatur ad cellulam *Uxor fratris olim relicta*, nam inter istas personas in dictis lineis contentas, contrahitur primum genus affinitatis, quod hodiè prohibitionem habet. Ita *Host. in sum. lib. 4. tit. de affinit. num. 9. Oliver. Textor. de affinitat. num. 45.*

11. Potest aliter explicari arbor posita dicendo, quod una linea reflexa incipit ab illa cellula *Frater*, & terminatur ad cellulam *Uxor fratris olim relicta*, alia linea reflexa incipit à cellula illa *Soror*, & terminatur ad cellulam *Vir sororis olim relictus*, quia uxor fratris olim relicta, primo gradu affinitatis conjungitur cū fratre sui viri defuncti, & vir sororis olim relictus, primo gradu affinitatis unitur cum sorore suæ uxoris defunctæ, & sic de reliquis discurre, & secundum istam explicationem formatur arbor affinitatis à Berengario Fernando, quam videre potes apud *Petr. Loriot. de grad. affinit. pagina 41.*

Verùm, quia affinitas propriam arborem non habet, sicut illam habet consanguinitas, & affinium nulli sint gradus, *Tholos. Synt. lib. 9. c. 10. n. 2. Vult. Instit. de nupt. num. 50. Thusc. concl. 239. num. 5. vol. 1. lit. A.* imo ut dicit *Petr. Loriot. in l. non facile. 4. regula 5. D. de grad. affinit. Communem arborem non solum obscuram esse, verum etiam imperfectam: nullum enim in ea affinitatis nomen reperies*; ideo quando necesse habes scire gradum affinitatis, non est necesse recurrere ad arborem istam Jo: Andreę, sed potes formare arborem consanguinitatis, vel viri cognoscētis, vel mulieris cognitæ, quia illo gradu, quo consanguineus viro conjungitur per consanguinitatem, unitur uxori per affinitatem, sicut illo gradu, quo consanguinei uxoris per consanguinitatem uxori uniuntur, per affinitatem uniuntur viro, primo genere affinitatis.

Quod si cupis scire nomina affinium, vide supra in *2. part. cap. 5. q. 3.*

5.q.3. vel recurras ad tabulam generalem omnium affinium, quæ traditur à *Petro Loriot. de grad. affinit. pag. 41.* quam tabulam, ad faciliorem intelligentiam Tyronum, in plures partes divisam hic pono.

Tabula continens Nomina Ascendentium Mariti respectu Uxoris, & Ascendentium Uxoris respectu Mariti.

Abauus Socer Magnus, vel Prosocer dicitur 4. grad.	Abavia Magna Socrus, vel Prosocrus dicitur 4. grad.
Proauus Socer Magnus, vel Prosocer dicitur 3. grad.	Proavia Magna Socrus, vel Prosocrus dicitur 3. grad.
Auus Socer Magnus, vel Prosocer dicitur 2. grad.	Avia Magna Socrus, vel Prosocrus dicitur 2. grad.
Pater Socer dicitur 1. grad.	Mater Socrus dicitur 1. grad.

EX hac tabula patet, quod pater mariti est *Socer* respectu uxoris, sicut pater uxoris *Socer* appellatur à marito; Auus mariti, sicut etiam Proauus, & Abauus, Socer Magnus est respectu uxoris: similiter Auus uxoris, Proauus, & Abauus uxoris *Socer Magnus*, vel *Prosocer* dicitur respectu viri. Mater viri *Socrus* appellatur ab uxore, sicut etiã Mater uxoris *Socrus* appellatur à Viro: Avia, Proavia, & Abavia Viri *Magna Socrus*, vel *Prosocrus* appellatur ab uxore, sicut etiam Avia, Proavia, & Abavia uxoris *Magna Socrus*, vel *Prosocrus* dicitur à Viro. Videas quæ dixi in

in 2.*part.cap*.5.*q*.3. Interdum Soceri, & *Socrus* nomine, non tantùm uxoris, & mariti Pater, & Mater, sed & Avus, & Avia continentur, *l.soceri*.146.*D.de verb. signif.* immo, etiam Proauus, & Proavia intelliguntur, *l.adoptiuus*.14.§.*nunc videamus.D.de rit.nupt.* Nihil tamen prohibet, quin Absocerum; *Absocrum*, *Atsocerum*, *Trisocerum* dicatur *Bechstad. de affinit.cap*.7. Consoceri vero dicuntur, qui liberos mutuis copularunt nuptiis, ut si filius meus, tuam duxerit filiam.

Tabula continens Nomina Mariti, vel Uxoris respectu Ascendentium Vxoris, vel Mariti.

Filiæ Maritus Gener dicitur 1. grad.	Uxor filii Nurus dicitur 1. grad.
Neptis Maritus Progener dicitur 2. grad.	Nepotis Uxor Pronurus dicitur 2. grad.
Proneptis Maritus Progener dicitur 3. grad.	Pronepotis Uxor Pronurus dicitur 3. grad.
Abneptis Maritus Progener dicitur 4. grad.	Abnepotis Uxor Pronurus dicitur 4. grad.

Ex hac tabula patet, quod maritus tàm respectu Patris, quàm Matris suæ uxoris *Gener* dicitur, sicut respectu Avi, Proavi, & Abavi suæ uxoris *Progener* dicitur. Uxor verò respectu Patris, & Matris sui Mariti *Nurus* dicitur, respectu verò Aviæ, Proaviæ, & Abaviæ Mariti, *Pronurus* dicitur, videas in dicta *part*.2.*c*.5.*q*.3. quamvis respectu Avi, vel Aviæ Mariti, etiã Nurus absolutè appellari valeat, *l.labeo scribit, nepotis ex filia mea*

nati

nati uxorem, nurum mihi esse.6. D.de grad.affinit. Poterit etiam dici *Abgener, Abnurus, Atgener, Atnurus, Bechstad.de affinit.cap.2.*

Tabula continens Nomina Mariti respectu descendentium à sua Vxore, & Nomina Vxoris respectu descendentium à suo Viro.

Maritus tuæ Matris Vitricus dicitur 1.grad.	Uxor tui Patris Noverca dicitur 1.grad.
Maritus tuæ Aviæ Vitricus dicitur 2.grad.	Uxor tui Avi Noverca dicitur 2.grad.
Maritus tuæ Proaviæ Vitricus dicitur 3.grad.	Uxori tui Proavi Noverca dicitur 4.grad.
Maritus tuæ Abaviæ Vitricus dicitur 4.grad.	Uxor tui Abavi Noverca dicitur 4.grad.

Habes in hac tabula, quod Maritus tuus respectu tuorum filiorum, quos ex alio viro suscepisti *Vitricus* dicitur, quo nomine, etiam appellatur respectu tuorum Nepotum, Pronepotum,& Abnepotum. Uxor verò tua, respectu tuorum filiorum, Nepotum, Pronepotum, & Abnepotum, quos ex alia uxore suscepisti, *Noverca* dicitur, *l.non facile.4. §. affines sunt.D.de grad. affinit.* Posset tamen dici *Provitricus*, *Pronoverca*, *&c. David. Doring.in Bibliotheca Jure consultor.verb.Affines.n.28.circa fin.*

Tabula continens Nomina descendentium à Marito, vel Vxore respectu Vxoris, vel Mariti.

vel Privigna (	Filius tui Mariti, vel Filia ex alia muli ere nati Privignus) dicitur 1.grad.	Filius, vel Filia tuæ Uxoris ex alio Viro Privignus (dicitur 1. grad.	) vel Privigna
vel Privigna (	Nepos, vel Neptis tui Mariti ex alia muliere nati Privignus) dicitur 2.grad.	Nepos, vel Neptis tuæ Uxoris ex alio Viro Privignus (dicitur 2. grad.	) vel Privigna
vel Privigna (	Pronepos, vel Proneptis tui Mariti Privignus) dicitur 3.grad.	Pronepos, vel Proneptis tuæ Uxoris Privignus (dicitur 3.grad.	) vel Privigna
vel Privigna (	Abnepos, Abneptis tui Mariti Pri vignus) dicitur 4.grad.	Abnepos, Abneptis tuæ Uxoris ex alio Viro Privignus (dicitur 4.grad.	) vel Privigna

EX hac figura patet, quod sicut descendētes tui mariti, quos ex alia muliere suscepit, respectu tui, uno nomine significantur. s. nomine *Privigni*, vel *Privignæ*; ita omnes tui descendētes, quos ex alio viro suscepisti, etiam nomine *Privigni*, vel *Privignæ* appellantur à secundo viro tuo, ut habetur ex *l. non facile.* 4. §. *affines sunt*, *& ex l. Privignus.7.D. de grad. affinit. l. adoptiuus.* 14. §. *nurus. D. de rit. nupt.* & tradidi in dicta *part.2.cap.5.q.3.* Poterit etiam dici *Proprivignus*, *Proprivigna, &c. David. Doring. l. cit.*

Tabula continens Nomina Collateralium Mariti respectu uxoris non est necessaria, quia tàm frater mariti, quàm filius fratris, Nepos, vel Pronepos fratris *Levir* dicitur respectu uxoris fratris, Patrui, Patruimagni, & Propatrui, illa verò respectu horū *Fratria* dicitur, sicut etiam maritus tuæ sororis, vel filiæ, Neptis, aut Proneptis tuæ sororis, respectu tui *Fratrius* dicitur. Soror vero tuæ uxoris filia, Neptis, & Proneptis sororis tuę

uxor

uxoris, respectu tui *Sororia* dicitur, ita ex tabula Petri Lorioti, sed de hac re vide quæ posui supra in citato *q.3.* Viri verò soror, *Glos.* dicitur respectu uxoris sui fratris, eodem appellantur nomine filia, neptis, & proneptis dictę sororis; & hęc de arbore affinitatis inquantum primum genus includit, sint satis, quia de secundo, & tertio genere affinitatis sufficiunt, quæ dixi supra in 2.*p.c.5.q.2.* Solùm ibi positis addo, quod affinitas secundi, & tertii generis, de jure Canonico tantùm fuit introducta, & non per leges civiles, ut in *cap. licet ex quadam. de testib. can. cum igitur. 35. q.1. Jo. Andr. in declarat. arbor. affinit. in fin.* & id factum fuit, ampliandæ charitatis, ut testatur *Rhamnus. in tract. de affinit. num.9. Prosdoc. de Comit. de affinitat. num.22.* & primum genus affinitatis usque ad septimū gradum prohibitionem matrimonii importabat; *can. de affinitate. can. nullum. & can. nulli: 35. q.3.* Secundum genus, usque ad quartum gradum copulam conjugalē impediebat, *can. de propinquis. 35. q.3.* Tertiū verò genus usq; ad secundū gradū, *can. porro duorū. 35. q.3. sed per Innoc. 3. in Conc. gener.* fuit determinatū, quod tantum primum genus affinitatis sit in consideratione, & impediat contractionem matrimonii usque ad quartum gradū inclusivè, ut habetur in *cap. non debet. de consang. & affinit. Cavalc. vol.2. dec.12. num.14. & seq.*

Hinc, nullatenus sunt audiendi asserentes secundi, & tertii generis prohibitionem ex parte durare, aut durare debere, nec in totum per dictum *cap. non debet.* sublatam esse, sed durare inter illos, qui juris interpretatione parentum, & liberorum loco habentur, & sic dicūt, quod maritus novercæ, mortua uxore, nō potest ducere ipsius privignā, quę tamē sibi est juncta in secūdo genere affinitatis: similiter non potest quis vitrici, aut generi uxorem; amitę, vel materterę secūdi mariti conjugem, fratrisque, aut sororis filiæ, neptis, aut proneptis, &c. mariti secundam uxorem, aut filii conjugis secundi mariti conjugem, in matrimonium petere, quia hæ personæ, omnes respectivè parentum, liberorumq; loco sibi sunt. DD. pro tali sententia citat, & sequitur *David. Doring. in Bibliothec. Jure-consultor. verbo Affines. num.45.* qui dicit, quod citatus te . *in cap. non debet. de consang. & affinit.* debet intelligi de affinibus collateralibus, non autem ascendentibus, & descendentibus.

Non

Non inquam sunt audiendi, quia absolutè ex dicto *cap. non debet.* tollitur impedimentum secundi,& tertii generis affinitatis,ut probant DD. quos in dicta *part.2.cap.5.q.2.* retuli.

Advertas, quod licet in *1.p. cap.1.§.1.disput.3.q.5.* dixi,quod ex matrimonio rato non cōsummato non nascitur impedimentum affinitatis; sed tantùm publicæ honestatis,quod verissimū est de jure canonico, ut ibi probavi, nec dissentiunt civilistæ, tamen isti dicunt, quod nascitur Affinitas ex matrimonio non consummato, & ex sponsalibus, quoad alios effectus civiles ex *l. quod servius.D.de cond.caus.data: l.labeo, & l.servius. D. de grad. affinit.* vide *David. Doringium in Bibliotheca jure sconsult.verbo affines. n.15. & seqq.* hæc tamen affinitas impropriè,& non strictè talis dicitur, ut dicit *gloss. in d.l.quod servius*, nec ratione dictę affinitatis tenentur compromittere,etiā stante statuto,quod inter affines sit compromittendum, *Bart.& Jas.in dicta l. quod servius.* nam statutum propriè intelligi debet. Videas *Doring. loc.cit.& num. 16.* Ex sola tamen figura matrimonii, quamvis invalidi,intrat impedimentum affinitatis in quarto gradu, ut ex *declarat.S.Cong. Concil. tenet Pignatel.tom.4.consult.15.*

CAPUT QUINTUM
De Gradibus Consanguinitatis.

QUia arbor Consanguinitatis formatur ex lineis,quę consanguineos ab eodem communi sanguine originem trahentes, sivè immediatè, sivè mediatè continēt gradatim, qua ratione linea fuit à nobis supra definita, quod *est collectio personarum ab eodem communi sanguine originem trahentium, sivè immediatè sivè mediatè diversos gradus continens, quibus vel inter se,vel à communi sanguine distinguntur*, meritò,postquam visum est dę lineis Consanguinitatis, videndum est de illius gradibus.

Dixi in *tit.de Gradibus Consanguinitatis & non Affinitatis*,quia Affinitas proprios gradus non habet, *can.porro de affinitate.35. q.5.* sed regulatur secundum gradus Consanguinitatis, idest quoto gradu Consanguinitatis mihi conjunctus est vir cognoscens mulierem, eodem gradu affinitatis mihi attinet mulier, & quoto gradu consanguini-

guinitatis est mihi mulier cognita, eodem gradu affinitatis est mihi vir cognoscens, ideo explicatis gradibus Consanguinitatis, intelliguntur etiam gradus Affinitatis; Præterea, dixi de gradibus Consanguinitatis, ad denotandum, quod de istis tantùm in præsenti tractatur, & non de gradibus, qui dantur inter personas officia gerentes, vel ordines recipientes, de quibus loquitur, *tex. in can. legimus in Esaja. 24. §. fin. in fin. dist. 93. can. ad hoc dispensationis. 7. dist. 89. can. in singulis gradibus. 2. dist. 77. Trid. sess. 23. cap. 8. & 12.* sicut etiam non tractatur de gradibus qui inter peccata dantur, cum gradibus ad peccatum pervenitur, suggestione, delectatione, consensu, *can. sicut tribus gradibus. 21 can sciendum quippe. 22. de pœnit. dist. 2.* & etiam in virtutibus gradus dantur, *can. cum Sanctã Ecclesiam. 15. de pœnit. dist. 2.* Sed de gradibus Consanguinitatis, ut dixi, tractatur. Ideo.

QUÆRES I.

Quid est Gradus Consanguinitatis?

PLures sunt definitiones, quæ de gradu consanguinitatis traduntur. Prima est, quę à Jo: Andrea traditur, videlicet: Gradus *est habitudo personarum distantium: qua cognoscitur quota agnationis, vel cognationis distantia duæ, pluresvè personæ inter se differunt, vel conjunguntur*, quam definitionem amplectitur, *Sanchez. lib. 7. de matr. disp. 50. nu. 2.* quia gradus consanguinitatis sunt ad similitudinem graduum scalæ, per quos à proximo in proximum tendimus sursum ascensuri, aut deorsum descensuri, *l. Jurisconsultus. §. Gradus. D. grad. affinit. Hostien. in Summ. de consang. & affinit. num. 6.*

Dicitur *Habitudo* loco generis, & accipitur pro Respectu, Mensura, Relatione, seu consideratione distantiæ.

Dicitur *Personarum* ad differentiam graduum distantium in scalis, quia in scalis non est habitudo personarum.

Dicitur *Distantium*, ad denotandum, quod gradus consanguinitatis non est de una persona ad seipsam, sed ad aliam distantem.

Dicitur *Qua cognoscitur quota agnationis distantia*, ad comprehendendum gradus consanguinitatis existentes inter agnatos per lineam masculinam descendentes.

Dicitur, *vel cognationis distantiam*, ad comprehendendum gradus

gradus cõſanguinitatis, qui ſunt inter cognatos in ſpecie, per lineam fęmininam deſcendentes. Vel dicitur *Qua cognoſcitur quota agnationis, vel cognationis diſtantia*, ad excludendum gradus ſubſtitutionum, gradus dignitatum, & officiorum, qui inter perſonas reperiuntur, & gradus perfectionum, à præſenti definitione gradus conſanguinitatis.

Dicitur *duæ perſonæ*, ad comprehendendum gradus conſanguinitatis, qui ſunt inter perſonas, quarum una eſt ſtipes reſpectu alterius, ut eſt habitudo inter patrem, & filium.

Dicitur *Pluresve perſonæ inter ſe differunt, vel conjunguntur*, ad comprehendendum gradus conſanguinitatis exiſtentes inter alias perſonas, quàm inter illas, quarum una eſt ſtipes reſpectu alterius.

Secunda definitio traditur à Damaſio, ut refert *Hoſtien. l.cit.* & eſt hæc: *Gradus eſt diſtantia unius perſonæ ab alia, vel plurium perſonarum in linea conſanguinitatis*, quam definitionem, etiam amplectitur, *Angel. Aretin. in §. hactenus. Inſtit. de grad. cognat.* ubi dicit, quod tàm prima, quàm ſecunda definitio eſt bona; illam tamen impugnat *Antonius de Roſell. in tract. de ſucceſſ. ab inteſt. num.* 43. ex eo, quia ſola diſtantia non eſt gradus, & ideo multum diſtantes inter ſe, non habent gradum. Inſuper gradus non eſt diſtantia, ſed menſura diſtantiæ.

Tertia definitio ponitur à *Gloſſ. in §. hactenus. verb. Adiicit. Inſtit. de grad. cognat.* aſſerens, quod gradus *eſt numeratio ſingularum perſonarum cognatione, vel affinitate ſibi conjunctarum, quoto gradu una perſona diſtat ab altera optimè indicans*, quę definitio reiicitur à *Bartol. in citat. tit.* ex eo, quia definitio graduum datur per gradus, & ſic idem cadit in definitione ſui ipſius, quod eſt contra regulas bonæ definitionis, & Sylveſt. Aldobrand. non ſolùm propter iſtam rationem illam reiicit, ſed etiam, quia numeratio eſt actus numerandi, non genus, & gradus non eſt actus numerandi.

Quarta definitio eſt Sylveſt. Aldobrand. qui gradus cognationis hoc modo definit: *Eſt quantitas propinquitatis, qua perſonæ cognatæ invicem diſtinguntur.*

Quinta definitio traditur à *Godfr.* qui dicit, quod gradus *eſt quædam habitudo ſeu diſtantia perſonarum ab invicem, facta collatione ad communem parentẽ*, quæ definitio reiicitur à *Card. in tit. de conſang. & affinit.* quia

per

per illam non comprehenditur gradus personarum, quarum una est stipes ad alteram.

Sexta definitio ponitur à *Card. l.cit.* ubi dicit, quod gradus in consanguinitate *est mensura distantiæ, qua cognoscimus quoto consanguinitatis gradu aliqui invicem distant*, undè distantiam personarum mensuramus gradualiter per regulas, de quibus infrà; quam definitionem reijcit *Anton. de Rosell. l. cit.* quia sola mensura distantiæ non facit gradum, undè duo extranei inter se habent mensuram distantię, & tamen non habent gradū; insuper Abnepos ab Abavo habet mensurā distantię, & tamen non facit gradum, sed plures gradus. Hæc *Anton. de Rosell.*

Septima definitio refertur ab *Azorio in Summ. de grad. cognat.* videlicet: *Est regularis personarum ad invicem in sua cognatione distantia, secundum quam una magis, vel minus recedit à stipite, quam altera.*

Octava definitio traditur à *Bartol. in tit. Instit. de grad. cognat.* ubi dicit, quod gradus *est situs, vel sedes personarum in linea consanguinitatis*, advertit tamen, quod loquendo propriè de situ, vel sede in alia facultate, & materia, quàm cognationis, gradus propriè non est situs, vel sedes; tamen dici potest, quod gradus cognationis dicatur situs, vel sedes, habito respectu personæ ad personam, quia lex æquiparat gradum consanguinitatis ad situm, vel sedem in scala; *l. Jurisconsultus. §. gradus. D. de grad. affinit.* Unde secundum *Bartol.* idem est quærere, in quo gradu est, ac in quo situ est.

Nona definitio, seu descriptio ponitur ab *Oliver. Textor. in tit. de grad. cognat. quæst. 10. num. 2. in fine*, ubi dicit, quod gradus *est determinata persona ad personam in cognatione propinquitas.* Vel: *est dinumeratio personarum de eadem linea per superius, inferius, & ex latere.*

Decima definitio traditur à *Petro Lorioto in l. Jurisconsultus. §. gradus. D. de grad. affinit. & tract. de grad. affinit. axiom. 4* ubi dicit, quod gradus *est de proximo in proximū trāsitus*, & quot sunt trāsitus (modo remotiores sint, & nō ęquè propinqui) tot erunt gradus, quam definitionem amplectitur *Antonius de Rosell. in tract. de success. ab intest. num. 43.* asserendo, quod gradus est locus ad instar graduū scalarū, de proximo in proximū gradū ascendendo, vel descendendo per lineas personarū, in cōsanguinitate existentium, diversas graduum distantias demonstrans.

Ego tamen dico, quod gradus

dus consanguinitatis est *generatio personæ, vel personarum consanguinitate conjuctarum, denotans proximitatem, vel distantiam personarum in eadem cognatione*; quam descriptionem explico authoritate Sacror. Canon. nam quod gradus sit generatio personæ, vel personarum patet ex *can. de affinitate consanguinitatis per gradus cognationis placuit, usque ad septimam generationem observare. 35. q. 2. & 3.* ubi septima generatio ponitur pro septimo gradu, idem habetur in *can. de propinquis. can. nullum in utroque sexu. can. progeniem suam. cum aliis seqq. 35. q. 2. & 3.* ergo gradus consanguinitatis aliud non est, quam generatio personæ, & ideo *Zaccharias Papa* in *can. parentelæ gradus. 35. q. 5.* dixit: *Parentelæ gradus taliter computamus: siquidem ego, & frater meus una generatio sumus, primumque gradum efficimus, nulloque gradu distamus. Rursus filius meus, fratrisque mei filius, secunda generatio sunt, ac gradum secundum faciunt, nec à se aliquo gradu separantur.* Vides ergo, quod generatio, & gradus idē sūt.

Dixi *Generatio personæ, vel personarum*, quia sivè pater unum filium generet, sivè plures per successivas generationes, omnes illi filii unum gradum faciunt, quia una generatio intelligitur, quando sunt ab uno generante; quando verò generationes sunt à diversis generantibus, tunc multiplicantur gradus, sicut multiplicantur generationes, ut patet ex *dicto can. parentelæ gradus.*

Dixi *Consanguinitate conjunctarum*, ad excludendas generationes extraneorum, qui inter se gradum non habent, ut est, si duæ personæ, quæ non sunt de eadem familia, & de eodem sanguine generent filios.

Dixi: *Denotans proximitatem, vel distantiam personarum in eadem cognatione*, quia propinquitas, vel distantia cognatorum per generationes cognoscitur, & ideo in *can. in copulatione fidelium. 35. q. 2. & 3.* habetur: *In copulatione fidelium, generationis numerum non definimus: sed id statuimus, ut nulli Christiano liceat de propria consanguinitate, seu cognatione uxorem accipere, usquedum generatio recordatur, cognoscitur, aut memoria retinetur.*

Dices: personæ existentes in lineis transversalibus habent inter se proximitatem, vel distantiam graduum, & tamen una non generat aliam, nec immediatè, nec mediatè, ergo generatio personarum non est gradus.

Respondeo, quod personæ transf-

transversales habent proximitatem, vel distantiam per ordinem ad communem stipitem à quo per successivas generationes descendunt,& illo gradu, quo à stipite distinguntur, etiam inter se distinguntur; ut ex dicendis infra patebit. Hæc vera sunt de jure canonico, quia de jure civili collaterales non distant inter se eadem distantia,qua à stipite distant,sed quęlibet generatio collateraliũ gradum constituit, & ita filii duorum fratrum dicũtur esse in quarta generatione, & in quarto gradu, cum tali jure inspecto,filii respectu patris sint in prima generatione, & in primo gradu,inter se verò sint in secundo gradu, & in secunda generatione, filii eorum, vel filiæ in quarta, nepotes, vel pronepotes eorum in sexta, *can. ad Sedem Apostolicam. 35. quæst. 5.* Semper tamen, non solum jure Canonico, sed etiam jure Civili,generatio sumitur pro gradu, & gradus pro generatione, ut patet ex *cit. can.ad Sedem Apostolicam.* Et in praxi, pro cognoscendis gradibus, formatur arbor generationum, & per illas generationes ascenditur, & descenditur numerando generationes, sicut in schalis lapideis, vel ligneis ascenditur, & descenditur per gradus ex quibus fiunt; cum igitur lineæ constituantur per generationes consanguineorum, dicendũ, quod dictæ generationes ordinatè dispositæ sunt gradus.

Hinc dicunt DD.quod persona generata addita personæ,gradum adiicit *Instit. de grad. cognat. §. hactenus. can. ad Sedem Apostolicam.35. quæst.*5.E.G.in linea recta ascendentium persona patris mei, quia adiicitur personæ avi mei per generationem, facit unum gradum; & persona avi mei, quia adiicitur personæ mei proavi per generationem, facit secundum gradum, & sic de reliquis discurras, non solùm in linea ascendenti, sed etiam in linea descẽdenti, & transversali, saltem de jure civili,ex quo quęlibet generatio facit gradum, de jure verò canonico in linea trãsversali duæ generationes faciunt unum gradum, intelligendo de gradu æquali, quia si sermo erit de gradu inæquali, quęlibet generatio facit gradum; undè de jure canonico frater, & soror sunt in primo gradu, filius fratris, ab Amita distat in secundo gradu, quia est secunda generatio,sicut etiam in secundo gradu distat à filiis Amitæ, ut infra patebit ex regulis ponendis pro numeratione graduum.

QUÆRES II.

Quot sunt gradus Consanguinitatis?

IMperator Justinianus, usque ad quem gradum consanguinitas ipsa perduret, in suis legibus non definivit, nam in *tit. Inst. de grad. cognat.* determinato sexto gradu subdit: *Hactenus ostendisse sufficiat quemadmodum gradus cognationis numerentur. Nanque ex his palam est intelligere quemadmodum ulteriores quoque gradus numerare debeamus: quippè sēper generata persona gradū adiicit*; evidenter igitur cōstat, quod numerus graduum consanguinitatis per leges civiles non est determinatus, sed ultra sextum progreditur, undè in *l. Jurisconsultus.* 10. §. *septimo gradu. D. de grad. affinit.* assignatur septimus gradus, & in §. *ultim. Instit. de success. cognator.* determinavit Imperator, quod consanguinei possunt inter se succedere usque ad decimū gradum, & sic gradus consanguinitatis, & ipsa consanguinitas nō est terminata in sexto gradu, ut habetur in *can. ad Sedem Apostolicam.* 35. *q.* 5.

De jure verò canonico ultra septimam generationem non datur numeratio gradus, non quod gradus non possint numerari, sed quia in septimo gradu terminatur consanguinitas secundum canones dicto *can. ad Sedem Apostolicam.* & in *can. in copulatione fidelium.* 35. *q.* 2. *&* 3. dicitur: *In copulatione fidelium, generationis numerum non definimus, sed id statuimus, ut nulli Christiano liceat de propria consanguinitate, seu cognatione uxorem accipere, usque dum generatio recordatur, cognoscitur, aut memoria retinetur*; recordatur autem generatio, & cognoscitur, usque ad septimam generationem, & ideo statūtum erat, quod nullus ex propinquitate sui sanguinis, usque ad septimum gradum uxorem duceret, *can. nulli. & can. quadam lex terrena.* 35. *q.* 2. *&* 3. Nec obstat, quod in *can. consanguinitatis.* 35. *q.* 4. *& in can. series consanguinitatis.* 35. *q.* 5. Isidorus dicit, quod consanguinitas, usque ad sextum generationis gradum constituta est, & dictis gradibus terminatur. Non inquam obstat, quia ut dicit *Gratian. in can. contradicimus. versic. hac auctoritate.* 35. *q.* 2. *&* 3. gradus cognationis secundum quosdam variè computantur. Alii nanque patrem in primo gradu, filios in secundo ponunt. Alii primum gradum filios appellant, negantes gradum cognationis inter

pa-

patrem, & filium esse, cum una caro probentur pater, & filius. Auctoritates autem, quæ consanguinitatis copulam, usque in septimum gradum prohibent, patrem ponunt in primo gradu: ille verò, quæ usque ad sextum gradum prohibent, primum gradum filios appellant; undè fit, quod eadem persona secundum hanc diversitatem, inveniatur in sexto, vel septimo gradu. Hæc Gratianus, cujus dictum confirmatur ex eodem, *Isid. in can. series consanguinitatis*. 35. *q*. 5. ubi à nepotibus incipit numerationem, constituendo illos in primo gradu, dicit. n. *Series consanguinitatis sex gradibus hoc modo dirimitur: filius, & filia, quod est frater, & soror, sit ipse truncus; illis seorsum sejunctis, ex radice illius trunci ægrediuntur isti ramusculi, nepos neptis, primus: pronepos proneptis, secundus: abnepos abneptis, tertius: atnepos atneptis, quartus: trinepos trineptis, quintus: trinepotis filius, & trinepotis filia, sextus.* Fuit tamen in *can. ad Sedem Apostolicam*. 35. *q*. 5. determinatum, quod secundum jus canonicum fratres sint in primo gradu, filii fratrum in secundo, & sic deinceps, undè patet, quod secundum istam numerationem trinepotis filius, trinepotis filia sunt in septimo gradu.

Quamvis autem, usque ad septimum gradum consanguinitas protendebatur, de jure canonico, & in tali numero omnia propinquitatum nomina contineantur dicto *can. ad Sedem Apostolicam*. & patet ex *l. Jurisconsultus. D. de grad. affinit.* ubi omnia nomina cognatorum recensentur usque ad septimam generationem, ultra quam non reperiuntur nomina graduum, & cognatorum, & ideo dicitur in cit. *can.* quod consanguinitas ultra septimum gradum non invenitur; tamen possunt ultra talem gradum numerari consanguinei, sicut fit in genealogia alicujus, quæ numeratio non fit ad finem cognoscendi, an inter illos valeat matrimonium contrahi, vel an inter illos detur successio, sed solùm ad ostendendum, quod sunt de tali stirpe, seu progenie. Restrictum tamen fuit impedimentum consanguinitatis in ordine ad matrimonium contrahendum, usque ad quartum gradum ab *Innoc. 3. in Concil. Generali*, ut patet ex *cap. non debet. de consang. & affinit.* ex eo, quia in ulterioribus gradibus, jam non potest absque gravi dispendio, hujusmodi prohibitio generaliter observari.

QVÆRES III.

Quid requiritur ad hoc, ut habeatur primus gradus Consanguinitatis?

AD faciendum primum gradum in linea recta requiruntur duæ personæ, tàm de jure civili, quàm canonico, nam persona generata addita personæ gradum adiicit *Instit. de grad. cognat. §. hactenus.* & dictum est in fine primi *quæ.* id autem, quod additur, debet supponere aliud cui additio est facienda, & ideo pro primo gradu constituendo requiruntur duæ personę, quo gradu constituto, semper ac deinde additur alia persona, habetur alius gradus, undè sola persona patris non facit gradum, sicut nec sola persona filii, sed requiritur persona patris, & filii pro primo gradu constituendo, pro secundo verò gradu constituendo una tantùm persona est superaddenda, & ita tres personæ faciunt secundum gradum, quatuor personę faciunt tertium gradum, & sic de reliquis; sicut ad faciendam fenestram requirũtur duo latera, seu duæ columnæ erectę, nec una sufficit, perfecta autem fenestra ex duabus columnis, si volueris aliam fenestram deindè construere, unica columna prioribus addita, sufficiet ad novam, & secundam fenestram faciendam, & sic tres columnæ faciunt duas fenestras, & tres personę faciunt duos gradus: similiter ad faciendum primum numerum requiruntur duæ unitates, nam una non sufficit, quia unitas non est numerus, sed principium numeri, *l. Jurisconsultus. 12. D. de testib. l. inter illam. 217. D. de verb. signif.* primo tamen numero ex duabus unitatibus composito, unaqueque unitas postea priori numero addita, facit nouum numerum.

In linea verò collaterali, de jure civili persona addita personæ facit gradum, quod de jure canonico non est universaliter verũ nisi essemus in linea collaterali inęquali, ut supra in fine p. quæs. dictum est, *Oliver. Textor. de grad. cognat. q. 17. n. 13. & seq.*

QVÆRES IV.

An Consanguinei, qui sunt in eodem gradu, & faciunt gradum, dicuntur etiam distare gradu?

CErtũ est, quod in linea transversali æquali nõ dicuntur distare gradu, sed tantùm dicuntur esse in gradu, & facere gra-

gradum, patet clare ex *can. parentelæ gradus. 35. q. 5.* ibi: *Parentelæ gradus taliter computamus: siquidem ego, & frater meus una generatio sumus; primum gradum efficimus, nulloque gradu distamus. Rursus, filius meus, fratrisque mei filius, secunda generatio sunt, ac gradum faciunt, nec a se aliquo gradu separantur. Atque ad hunc modum cæteræ successiones numerandæ sunt.*

Certum etiam est, quod cōsanguinei lineæ rectæ sunt in gradu, & faciunt gradū, sed non dicuntur gradu distare; siquidem primus gradus E.G est constitutus ex patre, & filio, taliter, quod sola persona patris, vel sola persona filii non sufficit, sed requiritur pater, & filius ad constituendum primum gradum, & ita, istæ duę personæ dicuntur unum gradum facere, & sunt in eodē gradu, nec inter se aliquo gradu distare dicuntur, eodem modo discurras de reliquis gradibus. Pro cujus majori intelligentia.

Sciendum, quod illi consanguinei dicuntur esse in gradu, & gradum facere, qui vel partialiter concurrunt ad constituendum unum gradum, ut est in exemplo posito de patre, & filio, nam quilibet illorum est pars illius primi gradus, & ideo pater à filio non distat aliquo gradu, nec filius à patre, quiā uterque est in uno, & eodem gradu ex ipsismet constituto. Vel æquè distant à stipite, ut sunt plures filii ab eodem patre geniti, nam isti etiam si mille sint, unum gradum faciunt; & in uno eodemque gradu sunt. Nec opponere vales, quod quælibet persona generata nouum gradum adiicit, justa superius dicta, & sic si sunt decem filii, erunt decem gradus diversi. Non inquam valet opponere, quia regula ista, quod quælibet persona generata gradum adiicit, locum habet inter personas, quarum una ab alia generatur, ut filius à patre, nepos à filio, non verò, quādo plures ab uno generātur.

Similiter filii duorum fratrum, qui sunt in linea transversali æquali, sunt in eodem gradu, quia æqualiter à stipite distant, faciunt gradum; & tamen aliquo gradu ad invicem non separātur, dicto *can. parentelæ gradus*; quotiescumque .n. in lineis transversalibus inveniuntur consanguinei æqualiter à communi stipite descendentes, quoto gradu unus eorum distat à stipite, toto gradu, secundum Canones, vel duplicato, secundum leges, attinent inter se, & sic non distant gradu, sed sunt in eodem gradu.

Illi

Illi verò consanguinei dicuntur gradu distare, quando unus ex collateralibus est remotior altero quoad stipitem, tunc.n. non sunt in eodem gradu, sed distant gradu, ut patet in fratre, & nepote alterius fratris, & ita transversales in lineâ æquali dicuntur esse in gradu, transversales verò in linea inæquali dicuntur gradu distare propriè loquẽdo, quamvis passim vulgus omnes distare gradu dicat. Videas *Angel. Aretin. in §. hactenus. Instit. de grad. cognat. Hostiens. in Summ. de consang. & affinit. §. qualiter computentur n. 7. versic. ergo. Oliver. Textor. in tit. de gradib. cognat. q. 10. n. 6. & seqq.*

Advertas tamen, quod in transversalibus propriè non dantur gradus, ut dicit *Oliver. l. cit. n. 12.* quia gradus propriè aliud non est, quã ascensus, & descensus, qui in transversalibus fieri non potest, sed quando in transversalibus est facienda computatio graduum, requiritur aliqua fictio, seu suppletio. J. supplendus est stipes, & per ordinem ad stipitem, obliqua computatione, gradus habent.

Ex dictis infertur, quod quando Emphyteusis cõceditur Titio usque ad tertiam generationem, seu usque ad tertium gradum, talis concessio non extenditur solùm ad nepotes Titii, sed ad pronepotes, quia persona Titii non est gradus, sed simul cum suis filiis facit unũ gradum, ut supra dictum est, quicquid distinguant alii relati ab *Oliver. Textor. de grad. cognat. quæst. 17. num. 19. & seqq.*

CAPUT SEXTUM

De Regulis numerandi gradus Cognatorum?

MAteria hæc numerationis graduum summè difficilis reputatur à *Bartol. in l. si aviç. C. de success. edicto*, dicens, quod illa lex videtur magis difficilis iuvenibus, quam alia, quæ sit in toto codice, quia tractat de computatione graduum, idem dicit *Decius* ibi, & *Hostien. in Summ. de consang. & affinit. §. qualiter arbor. num. 16.* dicit, quod Doctor debet aperire librum, & scholaris similiter, & libro aperto debet Doctor primo notare cellulam mediam, in qua nihil depictum est, à qua, & ad quam

tota

tota cõmputatio procedit, & reducitur. Postea debet legere lineam ascendentem, & cellulas ibi contentas, dicendo, quod scriptum est in qualibet cellula, & notando puncta superiora rubra, & inferiora nigra, & numerum eorum, & quid significent, postea de linea descendente similiter faciendo. Deindè de collaterali dextra, & deindè de collaterali sinistra illud idem fiat apertè, dilucidè, animo, ligua, digito; & oculo, nominando, computando, & determinando quoto gradu, & qualiter distent inter se, vel sibi attinent personæ positę in arbore. Ex quibus verbis *Hostiens.* apparet, quod etiam ipse materiam numerationis reputavit summè difficilem, & difficultas oritur, quia Doctores non capiunt viam, & modum dandi doctrinas, & regulas per modum magis facilem, sed per modum magis intricatum, & difficilem, & ut videantur periti, & ad ipsos semper fiat recursus, ignotum per ignotius ostendunt, cõfusas, & intricatas regulas tradunt, sicut Aristoteles fecit, dum ausculatorios libros edidit, nam Alexander Rex cum cognovisset libros illos in vulgus jam editos ita Aristoteli scripsit: *Haud rectè fecisti, quod ausculatorios libros ediderss, In qua .n. re à cęteris nos itẽ præstabimus, si disciplinæ, in quibus eruditi sumus, omniũ omninò sint communes. Equidem malim in rerum usu optimarum, quàm in facultatibus anteire.* Cui Aristoteles rescripsit: *Scripsisti ad me de libris ausculatoriis, inter arcana illos condi putans oportere; sed tu eos, & esse editos, & minimè editos scito: Cognoscibiles.n. iis tantum erunt, qui nos audiunt.* Exemplum utriusque Epistolæ desumpsi ab *Aulo Gellio lib.* 20 *noct. atticar. cap.* 4.

Ut autem de cætero omnes in hac materia sint periti, claras, & faciles regulas pro numerandis gradibus, tàm de jure canonico, quàm civili hìc pono, ut sine magistro valeant gradus omnes statim numerare.

QUÆRES I.

An in numerandis gradibus consanguinitatis eodem modo procedant jus canonicum, & civile?

Circa numerationem graduũ non eodem modo proceditur de jure canonico, ac proceditur de jure civili, quia alia est causa numerationis graduum de jure canonico, & alia est de jure civili; in legibus enim ob nihil aliud ipsorum graduum mentio

facta est, nisi ut hæreditas, vel successio ab una ad alteram personam inter consanguineos deferatur. In canonibus verò ob hoc progenies computatur, ut apertè monstretur, usq; ad quotam generationem à consanguineorum sit nuptiis abstinendum. Ibi præscribitur, ut hæreditas propinquis modo legitimo conferatur: hic verò, ut ritè, & canonicè inter fideles nuptiæ celebrentur. In legibus distinctè non numerantur gradus, nisi usque ad sextum: in canonibus autem, usque ad septimam distinguuntur generationem. Hac igitur de causa, quia hæreditates nequeunt deferri, nisi de una ad alteram personam; idcircò curavit secularis Imperator in singulis personis singulos prefigere gradus. Quia verò nuptiæ sine duobus non valent fieri personis, ideò sacri canones duas in uno gradu constetuire personas, ita scriptum habetur in *can. ad Sedem Apostolicam.35.q.5.*

Verum hoc intelligitur in linea collaterali, quia in linea recta ascendentium, & descendentium concordat jus canonicum, & civile in computatione graduum, cum in tali linea utrumque jus habuit respectum ad communem parentem, *Oliver. Textor.de grad. cognat. q.16.*

QUÆRES II.

Quomodo sunt computandi gradus consanguinitatis in linea recta, tàm de jure canonico, quàm civili?

Regula magistralis, quæ tàm de jure canonico, quàm civili traditur pro numerandis gradibus lineę rectæ, hæc est: *Quot sunt personæ, de quibus quæritur, computatis etiam intermediis, una dempta, tot sunt gradus;* Quę regula currit, tàm inter ascendentes, quàm descendentes. Hæc regula traditur à *Jo: Andr. in sua gloss. versic.ad inveniendum autem gradus*, & illam amplectuntur communiter Canonistæ, & Civilistę, ut dicit *Sanchez lib.7.de matrim. disp.50.n.4.*

Sensus dictę regulæ est, quando persona, cujus gradus quæritur, est in linea recta ascendentium, vel descendentium, cum alia, si inter ipsam, & aliam personam nulla persona mediat, tūc dictæ personæ dicuntur esse in primo gradu lineæ rectæ, quia sunt duæ personæ, à quibus una dempta, remanet una: Si verò inter ipsas personas, quarum gradus quæritur, una, vel plures aliæ medient personę, tunc numerantur omnes personæ mediæ, & extremæ

tremæ, deindè una demitur de illo numero, nàm numerus qui remanet, erit gradus illarũ personarum, quæ extremaliter fuerunt numeratæ.

Explicatur hoc exemplo, nam Pater, & Filius sunt duæ personæ, nec inter ipsas aliqua alia persona mediat, dempta autem una persona ex tali numero binario, remanet una, & ità in primo gradu lineæ rectę sunt Pater, & filius. *Instit. de grad. cognat. §. primo gradu. L. jurisconsultus. §. primo gradu. D. de grad. affinit.* Similiter si cupis scire, in quo gradu sunt Avus, & nepos, numera personam Avi, & personam nepotis cum persona intermedia, quia inter avum, & nepotem mediat persona Patris, nec potest ad extrema perveniri omisso medio, ideò erunt tres personæ, modo detrahe, & deme unam, remanent duæ, & ità in secundo gradu lineæ rectæ sunt Avus, & Nepos. *Instit. de grad. cognat. §. secundo gradu. d. l. Jurisconsultus. §. secundo gradu.* Præterea Proavus, & Pronepos sunt in tertio gradu, quia inter Proavum, & Pronepotem mediant duæ aliæ personæ. s. persona Patris, & persona Filii, & sic omnes simul numeratæ sunt quatuor personæ, modo si demas unam remanent tres, adeòque tertio gradu lineę rectę sunt Proavus, & pronepos *d. l. jurisconsultus. §. tertio gradu.* Abavus, & Abnepos sunt in quarto gradu, quia, istis numeratis cum personis intermediis sũt quinque personæ, à quibus dempta una, remanent quatuor, & ità in quarto gradu erunt. *Instit. de grad. cognat. §. quarto gradu. d. l. jurisconsultus. §. quarto gradu.* Hoc modo procedere vales in reliquis gradibus lineę rectę, sivè sit linea ascendentium, sivè descendentium. Ut autem sine labore valeas cognoscere attinentiam omnium personarum lineæ rectæ, videas primam figuram, quã posui supra in hac *3. p. cap. 1. q. 3.* in qua habes ascendentes, & descendentes cum suis gradibus.

Plures autem assignantur rationes quare una persona demitur in computatione graduum cõsanguinitatis lineę rectę ascẽdentium, & descendentium. Prima est *Azon. in summ. tit. de consang. & affin.* quia si stipes computaretur, sequeretur, quod pater, & filius essent in secũdo gradu: quia filius descendendo faceret unum gradum, & pater ascẽdendo faceret secũdum. Sed hæc ratio falsa est, quia quilibet eorũ in ordine ad alium est in primo gradu, & illæ duæ personæ, unum gradum faciunt, ut dictum est, undè sicut duæ columnæ non faciunt

ciunt duas fenestras, sed unam, ità duæ personæ non faciũt duos gradus, sed unum, etiam si secundùm diversum respectum cõsiderentur, & sicut tres columnæ non faciunt tres fenestras, sed duas, ità tres personæ, ut pater, filius, nepos nõ faciunt tres gradus, aut quatuor secundùm rationem *Azor.* sed duos, adeòque semper sunt numerandę omnes personę, inter quas distãtia quęritur, deinde à tali numero est tollenda una persona, quia numerus, qui remanet, erit gradus illarum personarum.

Secunda ratio est *Cardinal. Florent.* qui dicit, quod consanguinitas dicitur sãguinis unitas, seù personarum attinentia, quæ ad minus duas personas de necessitate pręsupponit, quæ uniantur, undè sicut illæ personæ non faciunt tot consanguinitates, puta duas, quot sunt personæ, sed oportet demere unam, & unam cõsanguinitatem faciunt, ità duæ personæ unum gradum faciunt. Sed hæc ratio, nec etiam valet, quia sequeretur, quod tres consanguinei facerent duas consanguinitates, quod tamen falsum est. Melior est similitudo, quam idem Cardinalis ponit de matrimonio, quod esse non potest, nisi sint duæ personæ, cum sit viri, & mulieris conjunctio, sicut ergo non tot sunt matrimonia, quot sunt personæ requisitæ ad matrimonium, sed oportet demere unam, ità pariter in nostro casu.

Tertia ratio est, quia sicut unus non est numerus, sed principium numeri, & ad constituendum numerum ad minus requiruntur duæ unitates; ità etiam una persona non facit gradum, nisi addatur alia, & sicut numero primo ex duabus unitatibus cõfecto, si postea quælibet alia unitas addatur, facit novum numerum, ità in gradibus consanguinitatis; similiter sicut non sunt tot numeri, quot sunt unitates, sed oportet demere unã, ita etiã in gradibus consanguinitatis.

Istæ sunt similitudines, non rationes, quare in computatione graduum consanguinitatis lineæ rectæ demenda est una persona. Ratio igitur est; quia ut supra dixi, gradus aliud non est, quam generatio personæ, vel personarum, ad generationem autem duæ personæ requiruntur, sc. persona generans, & persona generata, quæ duæ personæ unam generationem faciunt, & ideò quãdo numerantur plures personæ pro cognoscendo gradu inter illas, à tali numero est tollenda una persona, ne quamlibet personam de per se gradum, & generationem facere dicatur, sicut

ne

ne dicatur quamlibet columnam de per se fenestram facere, à numero columnarum est tollenda una, ut cognoscatur quot sunt fenestræ constitutæ, ità paritèr in gradibus consanguinitatis.

Firma ergo remanet regula data pro numerandis gradibus cōsanguinitatis in linea recta, quod tot sunt gradus, quot sunt personę, de quibus quęritur, cōputatis etiam intermediis, una dempta.

Hęc tamen regula licet ab omnibus Canonistis, & Legistis sit recepta, impugnatur tamen à *Petro Loriot. in l.1. D. de gradib. affinit.* ex eo, quia pater à filio secundùm regulam unum gradum facere deberent, & tamen propter carnis unitatem non faciunt, sed avus, & neptis, qui licet tres reperiantur personæ. s. avus, filia, & neptis, non tamen in secundo gradu sunt, sed in primo, undè concludit citatus Doctor, *omnes Doctores hactenus errasse, qui existimarunt superioris, & inferioris cognationis gradus eosdem utroque jure, & civili, & Pontificio esse*. Tradit tamen ipse aliam regulam pro tali numeratione, supposito, quod gradus possint in recta linea numerari, & regula quam tradit est: *Quot sunt generationes remotæ una dempta, tot sunt gradus*, quam regulam hoc modo explicat *Avus, filia, & neptis sunt duæ generationes, erit igitur unus gradus: eodem modo Avia à Nepote in primo gradu est, quia duæ sunt generationes, filius, & nepos. Dixi, quot sunt generationes remotæ, propterea quod tot sunt generationes, quot filii, & filiæ, quot nepotes, & neptes, & ita de aliis, sed quia æquè propinquæ sunt, diversos gradus constituere non solent. Addidi præterea ad nostram regulam, una dempta, propterea, quod pater, & filius sunt una generatio, & tamē propter carnis unitatē non computātur.* Idē dicit in *tract. de gradib. affinit. axiom. 5. & 6.*

Verùm hęc impugnatio *Lorioti* non est admittenda, quia pater, & filius sicut de jure canonico sunt una caro, ita de jure civili sunt una persona, *gloss. in l. si quis. 3. §. si filius meus. vers. non puto. D. quod quisqu. jur.* Sed non obstante, quod sunt una persona, dicuntur esse in primo gradu de jure civili, *l. Jurisconsultus. 10. §. nunc singulos. D. de grad. affinit.* ergo etiam non obstante, quod sunt una caro, debet dici, quod sunt in primo gradu de jure canonico. Impugnatio enim, quæ fit à *Petro Lorioto* deberet etiam militare contra numerationem, quæ fit de jure civili; cum in linea recta, eodem modo procedant numerando gradus jus canoni,

nonicum, & civile.

Preterea si verum esset, quod à *Lorioto* dicitur, multę Sacrorum Canonum dispositiones corruerent. Primò enim corrueret, quod habetur *in can. ad Sedem Apostolicã. 35. quæst. 5.* ubi dicitur, quod *Sacri Canones duas in uno gradu constituere personas*, si ergo duæ personæ secundùm sacros canones sunt in uno gradu, quomodo Avus, Filia, & Neptis sunt in primo gradu, cum istę sint tres personæ; salvatur tamen tex. in numeratione facta secundùm regulam, quæ communiter datur, dum dicimus, quod pater, & filius sunt in primo gradu, quia sunt duæ personæ. Secundò salvari non potest id, quod habetur in *cap. quod dilectio. 3. de consang. & affinit.* ubi assignatur regula quomodo sunt numerandi gradus inter collaterales, & dicitur, quod *quoto gradu quis distat à stipite, et à quolibet per aliam lineam descendentium ab eodem*, vel clarius, ut legitur in *cap. fin. eod. tit.* ibi: *Quoto gradu remotior differt à stipite, & à quolibet per aliam lineam descendentium ex eodem*; sed de jure canonico fratres, & sorores dicuntur esse in primo gradu, dicto *can. ad Sedem Apostolicam.* ergo debent distare à stipite, scilicet à Patre, in primo gradu, quia parentes stipitem constituunt. *cap. tua nos. 7. de consang. & affinit.* licet aliqui dicant, quod germani fratres stipitem constituunt. *d. cap. tua nos, & d. can. ad Sedem Apostolicam.* Sed in tali casu, quo germani stipitem constituunt, filii fratrum numerantur in prima generatione, nos verò dicimus, quod fratres sunt in prima generatione, & gradu ex *can. ad Sedem Apostolicam. 35. quæst. 5.* ergo dicendum, quod stipes est pater, ergo si quoto gradu quis distat à stipite, & à quolibet per aliam lineam descendentium ab eodem, dicendum, quod si fratres, & sorores sunt in primo gradu, etiam cum patre sunt in primo gradu. Tertiò, quia in Synodo habita in Lateranensi Consistorio fuit approbata arbor, quæ communiter datur de consanguinitate, *d. can. ad Sedem Apostolicam.* ergo malè talis arbor corrigitur à *Lorioto*, qui cum recedat à computatione graduũ consanguinitatis, secũdùm quod Sancti Patres numerandos esse sanxerunt, & antiquus mos Sanctæ universalis Ecclesiæ per longa tẽpora olim computasse monstratur, videtur gladio perpetui anathematis jugulatus, ut in dicto *can. ad Sedem Apostolicam.* in fine habetur.

Nec aliquid facit, quod idem *Loriotus loco citato*, dicit, computa-

ta-

tationem canonicam esse propter matrimonia, nè inter personas prohibitas cõtrahantur, cum autem perpetua sit inter superiores, & inferiores rectos nuptiarum prohibitio, nihil prodest disputare quoto gradu sit nepos, neptis, avus, avia, &c. & ideo de istis Pontifex nullam mentionem fecit.

Non inquam aliquid facit. Primò, quia non est certum inter DD. an omnes gradus lineæ rectę prohibiti sint de jure naturæ, cum multi teneant non omnes esse jure naturali prohibitos, sed tantùm jure humano, ut dixi in *prima part. cap. 1. §. 1. disp. 1. quæst. 1.* Secundò, quia numeratio graduum lineæ rectæ, licet non deserviat propter matrimonia in tali linea, tamen deservit, ut valeant cognosci gradus collateralium, nam quoto gradu remotior differt à stipite, & à quolibet per aliam lineam descẽdentium ex eodem, ut supra dixi ex regula posita in *cap. fin. de consang. & affinit.*

QUÆRES III.

Quomodo computandi sunt gradus Consanguinitatis in lineis collateralibus?

QUamvis in linea recta eodem modo procedant jus Canonicum, & Civile circa numerationem graduum consanguinitatis, tamen in lineis collateralibus disconveniunt, quia ob aliam, atque aliam causam ista jura computant gradus; siquidem leges dinumerant gradus ob hæreditates, & successiones, quæ ab una ad alteram personam inter cõsanguineos deferuntur: Canones verò gradus computant, ut apertè monstretur, usque ad quotam generationem à consanguineorum nuptiis abstinendum sit, *can. ad Sedem Apostolicam. 35. quæst. 5.* Cum igitur hęreditas nequeat deferri, nisi de una ad alteram personam, ideò secundùm leges, quælibet persona gradum facit; nuptiæ verò, quia sinę duabus personis fieri non valent, ideò canones duas personas in uno gradu constituunt, dicto *can. ad Sedem Apostolicam.* Ut autem hæc doctrina faciliùs intelligatur, quædam regulę traduntur pro collateralibus in linea ęquali, & pro collateralibus in linea inęquali.

Prima igitur regula de jure Canonico pro collateralibus in linea æquali est: *Quoto gradu quis distat à stipite, & à quolibet per aliam lineam descendentium ab eodem*, quæ regula desumitur ex *cap. quod dilectio. 3. de consang. & affinit.* & reddit hunc sensum,

collaterales, qui æqualiter à stipite distant, illo gradu distant inter se, vel sibi attinent, quo unus eorum distat à stipite, hæc autem numeratio in ordine ad stipitem est facienda secundùm regulam, quam posui in præcedenti quæsito, quia quælibet linea collateralis respectu stipitis recta dicitur, & duæ lineæ collaterales, ex duabus lineis rectis constituuntur, quę ab eodem stipite originem habent; undè secundum istam regulam potes ita dicere, duo fratres æqualiter distant ab eorum patre, qui est communis stipes, sed quilibet ex illis in primo gradu distat à stipite, scilicet à patre, ergo primo gradu distant inter se, filii fratrum in secundo gradu distant ab Avo communi stipite, ergò secundo gradu distāt inter se: nepotes fratrum tertio gradu distant à stipite, scilicet à Patruo, ergo tertio gradu distant inter se, & sic de reliquis discurras, *can. ad Sedem Apostolicam. & can. parentelæ gradus. 35. quæst. 5.* pro qua numeratione videas secundam figuram, quam posui supra in *cap. 1. qu. 3.*

Jure verò Civili hæc regula datur pro collateralibus in linea æquali: *Quoto gradu quis distat à communi stipite, toto duplicato distant inter se, vel sibi attinent,* sit exemplum, duo fratres æqualiter distant à stipite, scilicet à Patre in primo gradu, ideò duplicato tali gradu, distant inter se in secundo gradu: filii fratrum æqualiter distant ab Avo in secundo gradu, ideò duplicato tali gradu, distant inter se in quarto gradu: nepotes fratrum æqualiter distant à Proavo eorum stipite in tertio gradu, ideò duplicato tali gradu, distant inter se in sexto gradu, & sic de reliquis discurras, dicto *can. ad Sedem Apostolicam. l. 1. & l. Jurisconsultus. 10. §. secundo gradu. cum aliis seqq. D. de grad. affinit. Instit. de gradib. cognat. per tot*; undè duo gradus legales unum gradum canonicum constituunt, quatuor gradus legales duos gradus canonicos constituunt, & sic de reliquis gradibus discurras in collateralibus ęqualibus, dicto *can. ad Sedem Apostolicam.*

Potest tamen breviùs, & clariùs tradi regula de jure civili pro numerandis istis gradibus, quæ talis est: *quot sunt personæ stipite dempto, tot sunt gradus*, ut duo fratres dempto stipite sunt duæ personæ, ideò in secundo gradu distant: filii fratrum, connumeratis personis intermediis usque ad stipitem, sunt quatuor personæ dempto stipite, ideò in quarto gradu distant inter se,

idem

idem in reliquis gradibus observabis.

Ex dictis infertur, quod de jure civili non datur primus gradus in linea collaterali, sed talis linea à secundo gradu incipit, *l. 1. D. de grad. affinit. can. ad Sedem Apostolicam. 35. q. 5.* Jure verò canonico lineæ collaterales à primo gradu incipiunt *d. can. ad Sedem Apostolicam*, & licet in *can. primo gradu. §. secundo gradu. 35. q. 5.* dicatur, quod *secundo gradu continentur, superiori linea avus, avia, inferiori nepos, neptis, transversa frater, soror*; tamen non intelligitur, quod frater, & soror distant inter se in secundo gradu de jure canonico, quia frater, & soror in *d. can.* accipiũtur pro fratre, & sorore tui patris, vel matris, qui distant à te in secundo gradu, cum sint tuus patruus, aut avunculus, amita, vel matertera, *d. §. secundo gradu.* ibi: *Frater, & soror ex transverso veniunt, idest aut frater patris, aut frater matris: qui aut patruus, aut avunculus nominatur*; in collateralibus. n. in linea inæquali, computãtur gradus de jure canonico secundùm regulam, quæ habetur *in cap. fin. de consang. & affinit.* ubi dicitur, quod *quoto gradu remotior differt à stipite, & à quolibet per aliam lineam descendentium ex eodem*, sed quia tu, & patruus tuus, qui est frater tui patris inæqualiter distantis à stipite, qui est avus, cũ tu distes secundo gradu, & ille distet primo gradu, ideo servando regulam positam, debes ab illo distare secundo gradu de jure canonico, ut ex sequenti regula patebit, idem dicas de avunculo, amita, matertera.

Secunda regula de jure canonico pro collateralibus in linea inæquali est: *quoto gradu remotior differt à stipite, & à quolibet per aliam lineam descendentium ex eodem*, quæ regula approbatur *in cap. fin. de consang. & affinit.* Sensus ergo hujus regulæ est, quod quando collaterales inæqualiter distãt à stipite, quia s. sunt plures generationes in una, quam in alia linea, tunc numeratio est facienda ab illa persona, quæ magis distat à stipite, & illo gradu, quo remotior distat à stipite, distat etiam à suo collaterali. Sit exemplum, filius fratris respectu stipitis dicitur esse in secũdo gradu secundùm regulam, quam posui pro linea recta, nepos alterius fratris distat à stipite in tertio gradu, & sic est in gradu remotiori, ideo filius unius fratris à nepote alterius fratris tertio gradu distat, secundùm istam regulam; Aliud sit exemplum, filius distat à stipite in primo gradu, tuus abnepos ex altero fratre di-

ſtat à ſtipite quarto gradu, & ſic ſunt in linea inæquali, ideo inter ſe quarto gradu diſtant;& ſecundùm hanc regulam poteris in aliis exemplificare.

Advertas, quod in tali linea collaterali inæquali, illo gradu quo remotior diſtat à ſtipite, diſtat etiam à quolibet collaterali alterius lineæ,uſq;dũ pervenitur ad lineã,ſeu gradũ æqualem, puta, abnepos fratris diſtat à ſtipite quinto gradu, ideo quinto gradu diſtat à cellula fratris,quæ eſt in alia linea collaterali, à filio, nepote,pronepote, & abnepote dicti fratris, & ſic perſona addita perſonę uſq; ad lineam æqualitatis nõ facit creſcere gradum, nec differre gradu de jure canonico, ſed quãdo tranſcenditur linea æqualitatis,tunc perſona addita perſonę facit gradum de jure canonico. Licet autẽ omnes iſti quinto gradu diſtent, ut dictum eſt, tamen ad oſtendendam inæqualitatem, dum petitur diſpenſatio pro matrimoniis, addi ſolet proximitas alterius gradus ad ſtipitem, dicendo,in primo quinto, ſecundo quinto, tertio quinto, &c. ità pro certo quodam loco determinavit *Cœleſtinus III. in cap. quod dilectio.de conſang.& affinit.*quando prohibitio matrimonii protendebatur uſque ad ſextum gradum, ejus verba ſunt: *indulgentia illa,ſic eſt intelligẽda, quod uterque conjungendorum diſtet à ſtipite ſexto gradu. Si verò alter ſexto, vel ſeptimo gradu diſtat à ſtipite, alter autem ſecundo, vel tertio,conjungi non debent*,quę determinatio fuit fundata in cõſuetudine, quæ vigebat in illa terra,in qua incolæ propter proximiorem gradum cõjunctos ſeparabant, & impediebant copulari volentes,undè ad tollendum populi ſcandalum, & ne diſſentio oriretur,voluit Pontifex conſuetudini deferre, & ſecundùm illam determinare: quia de jure, ſufficiens videtur expreſſio gradus remotioris,ex regula qua dicitur, *quoto gradu quis diſtat à ſtipite, & à quolibet per aliam lineam deſcendentium ab eodem*; quæ regula fuit recepta, & approbata *à Gregor. IX. in cap.fin. de conſang. & affinit.* & ſic ſatis eſt exprimere gradum remotiorem, undè quia hodie prohibitio matrimonii ad quartum gradum reſtricta eſt, ſi vir à ſtipite quarto gradu, vel tertio, aut ſecundo diſtet, & mulier ex alio latere diſtet in quinto, poſſunt licitè matrimonialiter copulari, verba dicti tex.ſunt:*Vir qui à ſtipite quarto gradu, & mulier quæ ex alio latere diſtat quinto, ſecundum regulam approbatam qua dicitur;quoto gradu remotior differt à ſti-*

à stipite, & à quolibet per aliam lineam descendentium ex eodem licitè possunt matrimonialiter copulari.

Verùm Pius IV. recedendo ab ista determinatione, mediante sua Constitutione mādavit, quod in dispensationibus matrimonialibus pro diversis consanguinitatis, seù affinitatis ex eodem stipite provenientibus gradibus conjunctis, non remotioris solùm, prout olim fieri solebat, sed etiā propinquioris gradus mentio fieri debeat, alias dispensationes nullius sint roboris, vel momenti, quæ Pii IV. constitutio, quia recedebat à dispositione juris communis, & à laudabili, ac antiquo Romanæ Curiæ stylo, fuit revocata à Pio V. per suam constitutionem publicatā Romę die 20. Aug. 1566. & solùm voluit, quod quando gradus proximior est primus gradus consanguinitatis, vel affinitatis, tunc est facienda mētio non solùm de gradu remotiori, sed etiam de proximiori. Verba Bullæ Pii V. sunt:

Sanctissimus in Christo Pater, & D.N. Pius Divina providentia Papa V. attendens per quandam constitutionem dudum per fel. rec. Pium PP. IV. Sanctitatis Suæ prædecessorem editam, qua cavetur, quod in dispensationibus matrimonialibus pro diversis consanguinitatis, seù affinitatis ex eodem stipite provenientibus gradibus conjunctis, nō remotioris solùm, prout olim fieri solebat, sed etiam propinquioris graduum, expressa mētio fieri debeat, alioquin dispensationes, ac desuper confectæ litteræ nullius sint roboris, vel momenti, prout in dicta constitutione plenius continetur, à dispositione juris cōmunis, & laudabili, ac antiquo Roman. Cur. stylo nimium recedi, ac favorem matrimonii debitum restringi. Volensque propterea juri, & stylo prædictis, nec non pię mem. Greg. X. & Clem. VI. Rom. Pont. etiam Sanctitatis Suæ Prædecessorum vestigiis inhærendo, Sacramēto, & libertati matrimonii quantum cum Deo potest favere, statuit, & ordinavit, quod de cætero in quibuscumque dispensationibus, quas pro matrimoniis contractis, aut contrahendis, inter viros, & mulieres invicem diversis prohibitis consanguinitatis, seù affinitatis, aut mixtis, ex communi seu ab eodem stipite surgentibus quicunque illi sint, dummodo primū quoque modo non attingat, cum in eo Sanctitàs Sua nunquam dispensare intendat, gradibus conjunctos ab eadem Sanctitate Sua, & pro tempore existente Rom. Pontif. aut Sede Apostol. impetrari, vel alias concedi contigerit, ac litteris, commissionibusque desuper etiam loco-

rum ordinariis faciendis, gradus remotior attendatur, trahatq; secum propinquiorem: ac ob id sufficiat remotiorem tantum gradum exprimere, obtentis tamen postea super propinquiorem litteris declaratoriis, juxtà Greg. & Clem. Prę decess. hujusmodi Constitutiones, quas quoad hoc innovavit, ac inviolabiliter observari mandavit, dispensationesque, seù dispensandi commissiones, ac desuper confectas litteras, & processus habitos per eosdem dispẽsatos, seù hos cum quibus dispensari mandatur, propter proximioris gradus hujusmodi non expressionem de subreptionis, seù obreptionis vitio, seù intentionis defectu notari non posse. sed in omnibus, & per omnia suffragari perindè, ac si in litteris seu commissionis hujusmodi de proximiori, seù utroque gradu, specialis, & expressa mentio facta fuisset, sicque per quoscumque Judices, &c.

Difficultas tamen ex hoc oriri potest, an quando aliqui consanguinei, vel affines distant in primo, & quinto gradu valeant nuptias cõtrahere sine dispensatione. In qua difficultate *Cujac. lib. 38. ff. tit. 10. de gradib. & affinib. & nominib. eorum* dicit, quod de jure Canonico contrahere non possunt, licet eodem jure restricta sit prohibitio in linea collaterali usque ad quartum gradũ, undè Abpatruus fratris abneptẽ, licet distent in quinto gradu de jure canonico, ducere nõ potest, sicut Propatruus fratris pronepte ducere non potest, quia jure canonico in transversa linea ratione pudoris prohibentur nuptiæ inter omnes illos, qui parẽtum, & liberorum loco invicem habentur, etiam si quartum gradum excedant. Ita etiam tenent *Faber in §. inter eas. Instit. de nupt. num. unic. Hostien. in sum. tit. de consang. §. usq; ad quartum gradũ. num. 11. & in cap. quod dilectio. n. 1. cap. tua. n. 2. de consang. & affinit. Joan. de Friburg. in sum. confess. lib. 4 tit. 6. q. 7. & alii.* Verùm cæteri DD. ab ista opinione recedunt, asserendo posse inter illos cõsistere matrimonium, quia ultra quartũ gradum sunt inter se conjuncti, quam sententiã amplectitur *Sãch. lib. 7. de matr. disp. 53. n. 5. in fin. Guttier. de matrim. c. 98. n. 18.* quã opinionẽ verissimã puto, nec Bulla Pii V. facit in oppositum, quia intelligitur quando unus distaret à stipite in primo gradu, & alter in quarto, non verò quando alter distaret in quinto, quia loquitur quãdo petuntur dispensationes, quę de quarto, non de quinto gradu petuntur, nec de præsenti casu mẽtionem aliquam fecit, quam facere debuisset, si quintum gradũ vo-

voluisset includere. Videas,quæ dixi *in* 1.*p.cap.*1.§.2.*disp.*4.*q.*3.

Dixi paulò superius, quod abnepos fratris distat à stipite in quinto gradu, & tuus abnepos ex altero fratre distat à stipite in quarto gradu; quia pronepos fratris tui est tuus abnepos, & iste distat à stipite in quarto gradu, abnepos verò tui fratris est tuus atnepos, & iste distat à stipite in quinto gradu, undè absq; contrarietate fui ibi loquutus.

Jure verò civili pro dignoscẽdis gradibus collateralium in linea inæquali hæc regula datur: *tot sunt gradus, quot sunt personæ stipite dempto*, undè sunt numerandę personæ utriusque lineæ, & quot sunt illę, dempto stipite, tot erunt gradus, puta filius tui fratris distat à te in tertio gradu de jure civili,quia tu es una persona,frater tuus est secunda persona, & filius tui fratris est tertia, eodem modo discurrẽdo habes, quod tu à nepote tui fratris distas in quarto gradu, & sic de reliquis. Et ratio est,quia de jure civili non solùm inter ascendentes, & descendentes, sed etiam inter collaterales sivè in linea æquali, sivè inæquali, quælibet persona alteri addita facit gradum, & ideo de jure civili, quot sunt personæ, de quibus quæritur, computatis intermediis,una dempta, tot sunt gradus,quæ regula sufficit pro cognoscenda computatione, & distantia graduum inter ascendentes,descendentes, & collaterales omnes, non solùm æqualiter, sed etiam inęqualiter distantes à stipite. Ut autem sine tui defatigatione valeas habere distantiam omnium consanguineorum in linea inæquali tam de jure canonico, quã de jure civili, videas tertiam figuram, quam supra posui in hac tertia parte,*cap.*1.*q.*3.undè nihil aliud facere debes, quàm situare personas, de quibus distantiam quæris in cellulis dictæ arboris, quia statim utramque distantiam habes.

QUÆRES IV.

Quomodo sunt computandi Gradus Affinitatis?

AFfinitas proprios gradus non habet, *can.porrò de affinitate.* 35. *q.* 5. regulatur tamen secundùm gradus consanguinitatis, inquantum illo affinitatis gradu conjungitur mihi vir mulierem consanguineam meam cognoscens, quoto consanguinitatis gradu est mihi mulier illa cognita, & illo affinitatis gradu est mihi mulier cognita à meo consanguineo, quo mihi

hi

hi conjungitur vir cognoscens; Ratio est, quia vir, & uxor sunt duo in carne una, adeoque non potest aliquis uni eorum pertinere, quin alteri etiam pertineat, & illo gradu quo pertinet uni, pertinere debet alteri, *can. fraternitatis vestræ.35.q.10.* Quamvis autem eodem gradu pertineat uni, & alteri, non tamen eodem genere pertinet, quia uni pertinet in genere consanguinitatis, alteri verò pertinet in genere affinitatis, & ideo dicitur, quod persona addita personæ per carnis copulam mutat genus, sed non gradum, qua ratione ego, & soror uxoris meæ in uno, & primo affinitatis gradu sumus, quia illa primo consanguinitatis gradu attinet meæ uxori: filius verò dictę sororis in secundo affinitatis gradu erit à me, nepos in tertio, & sic de reliquis. *can. porro de affinitate.35.q.5.* In matrimoniis ergo copulandis illo gradu, quo vir potest suis consanguineis conjungi, potest etiam post mortem suæ uxoris conjungi consanguineis dictæ uxoris, *can. de propinquis. can. nullum in utroq; sexu. can. æqualiter. & can. sanè.35.q.2. & 3.* nam cum vir, & uxor sint una caro illo gradu, quo consanguinei unius ei attinent per consanguinitatem, attinent etiam alteri per affinitatem, *cap. 1. de consang. & affinit.*

Hinc quando vis cognoscere quoto gradu affinitatis est tibi aliquis conjunctus, recurrere debes ad arborem consanguinitatis, & videre quoto gradu consanguinitatis est ille cum muliere cognita, quia illo gradu erit tibi conjunctus in affinitate, sicut quoto consanguinitatis gradu est aliquis viro cognoscenti, eodem affinitatis gradu erit mulieri cognitæ, & ita facilè numerabis gradus affinitatis, absque eo, quod ad communem arborem affinitatis recurras.

CA-

CAPUT SEPTIMUM, ET ULTIMUM

De Gradibus, & Nominibus omnium Consanguineorum.

SUperfluum forsitan videbitur pręsens Capitulum, cum ex jam dictis, nomina omnium cōsanguineorum sufficienter sint explicata, & gradus omnium, ex regulis positis facillimè habeantur. Verùm multa me impulerunt ad calamum reassumendum circà hanc materiam. Primò, quia in computatione parentelæ incipiendum est à stipite, idest à parentibus, vel germanis, & ita per ordinem sunt distinguendi gradus, nec non sunt designandæ personæ nominibus propriis, vel ęquipollentibus indiciis, ut habetur in *cap. tua nos. de consang. & affinit. & in can. de parentela illa. 35. q. 6.* ut igitur, tàm in gradibus, quàm in nominibus personarum non discordent computatores, volui in pręsenti Capitulo singulos gradus distinguere, cum nominibus consanguineorum. Secundo, quia in *can. primo gradu. 35. q. 5.* numerantur omnes gradus superiores, inferiores, & ex latere, cum nominibus Consanguineorum, ideo ad illius explicationem necesse fuit calamum assumere. Tertio id feci, ut clara intelligentia habeatur de dispositis in *tit. Instit. de gradibus cognation.* & in *l. Jurisconsultus. 10. D. de grad. affinit.* ubi de jure civili numerantur gradus, & distinguntur nomina omnium Consanguineorum, undè, ut statim valeas gradus omnium habere, & in testimonio ferendo nomina distinguere, volui, brevi calamo singulos percurrere gradus in præsenti Capitulo.

Primo igitur gradu in linea recta, tàm de jure Canonico, quàm Civili sunt Pater, & Mater cum Filio, & Filia, *can. primo gradu. 35. q. 5. l. Jurisconsultus. 10. §. nunc singulos gradus. D. de grad. affinit. Instit. de grad. cognat. §. primo gradu.* Sed quia filia propriè loquendo sub filii appellatione non continetur, cum sit ab illo diversa tum ratione sexus, tum etiam, quia cognatos parit, ideo in dicta *l. 10. §. nunc singulos gradus*, dicitur, quod quatuor personę sunt in primo gradu, duę sunt sursum, scilicet pater, & mater,

ter, & duæ ſunt deorſum, ſcilicet filius, & filia, licet iſti plures ſint.

In linea autem tranſverſali nō datur primus gradus de jure Civili, *l.1.D. de grad. affinit.* datur tamen de jure Canonico,& ideo fratres, & ſorores,qui,quæve dicuntur eſſe in ſecundo gradu de jure Civili, *l.p.§. ſecundo gradu.l. 10.§.ſecundo gradu.D.de grad. affinit.Inſtit.de grad. cogn. §.ſecūdo gradu.* ſunt tamē in primo gradu de jure Canonico, *can. ad Sedem Apoſtolicam.& can.parentelæ gradus.35.q.5.*

Secundo gradu in linea recta, tàm de jure Canonico, quàm Civili ſunt Avus,Avia, cum Nepote,& Nepte, *can. primo gradu. §.ſecundo gradu.35.q.5. Inſtit. de grad.cognat. §. ſecundo gradu.l.p. §.ſecundo grad. & l.10. §.ſecundo grad.D.de grad. affinit.*

In linea verò tranſverſali in ſecundo gradu lineæ æqualis ſunt de jure Canonico filii fratrum, vel ſororum ad invicem, *can.ad Sedem Apoſtolicam.& can. parentelæ gradus. 35. q. 5.* ſicut etiam Patruus,cum filio, vel filia fratris, Avunculus cum filio, vel filia ſororis,Amita cum filio, vel filia fratris, & Matertera cum filio,vel filia ſororis ſunt in ſecundo gradu lineę inæqualis de jure canonico. Jure verò civili in linea collaterali in ſecundo gradu æquali computantur fratres, & ſorores, dicto §. *ſecundo gradu.* Nec te moveat, quod *Iſidor. in can. primo gradu. §. tertio gradu.35.q.5.* Patruum,Amitam, Avunculum, & Materteram in tertio gradu collocavit,quia utitur Iſidor.in tali can. cōputatione Civili, non canonica, & canonem illum deſumpſit ex *l.10. D. de grad. affinit.* ut ex text. patet: imo idem *Iſidor. l. cit. §. ſecundo gradu.in fine,* conformiter ad jus Canonicum dicit, quod Patruus, Auunculus, &c. ſunt in ſecundo gradu, quæ autem ſint iſtæ perſonę, videas ſupra in *cap. 1. quæſ.2.*

Dum autem in dicta *l.10.§.ſecundo gradu.* dicitur, quod de jure Civili duodecim perſonę in ſecundo gradu continentur, intelligitur, quod in linea recta ſurſum ſunt quatuor perſonę,ſcilicet Avus paternus, & Avia paterna, Avus maternus, & Avia materna, in linea recta deorſum ſunt quatuor alię perſonę, ſcilicet Nepos ex filio, Nepos ex filia, Neptis ex filio,& Neptis ex filia, quia maſculi numerantur ſeparatim à fęminis de jure Civili,& ita in linea recta habētur octo perſonæ, quæ ſecundo gradu diſtant. In linea collaterali ſunt quatuor alię perſonę, ſcilicet frater conſan-

ſanguineus, & frater uterinus, ſoror Conſanguinea, & ſoror uterina, & ita ſunt duodecim perſonæ; frater autem utrinque conjunctus non numeratur, nec auget numerum, quia non differt ab eo, qui eundem tantùm patrem habet, niſi, quia ille habere poteſt cognatos, tàm paternos, quàm maternos, ideſt fratres conſanguineos tantùm, & uterinos tantùm habere poteſt, ſed ille, qui non eſt utrinq; conjunctus, ex eo latere, quo conjunctus non eſt, fratrem habere non poteſt, dicta *l.* 10. *§. ſecundo gradu.* ubi *Petr. Loriot.*

Tertio gradu in linea recta, tàm de jure Canonico, quàm Civili ſunt Proavus, Proavia cum Pronepote, Pronepte, *can. primo gradu. §. tertio gradu. 35. q. 5. Inſtit. de grad. cognat. §. tertio gradu. l. p. §. tertio gradu. & l.* 10. *§. tertio gradu. D. de grad. affinit.*

In linea tranſverſali de jure Canonico tertio gradu æquali ſunt nepotes ex fratribus, vel ſororibus, *can. ad Sedem Apoſtolicam.* 35. *q.* 5. Item Patruus Magnus, Auunculus Magnus, Amita Magna, Matertera Magna, cum Nepote, vel Nepte fratris, vel ſororis ſunt tertio gradu in linea inęquali, qui Nepos, vel Neptis fratris, vel ſororis, etiam tertio gradu diſtat à filio, vel filia, Nepote, vel Nepte Patrui Magni, Auunculi Magni, Amitę, Magnę, Materteræ Magnæ, ut ex regulis ſupra poſitis habetur. Jure verò Civili in tali linea tranſverſali in tertio gradu ſunt filii, & filiæ fratrum, & ſororum cum Patruo, Amita, Auunculo, Matertera *Inſtit. de gradu. cognat. §. tertio gradu. l. 1. §. tertio gradu. & l.* 10. *§. tertio grad. D. de grad. affinit.* Quæ ſint in iſtæ perſonæ videas ſupra in *c. 1. q. 2. & c. 2. q. 2.*

Dicitur in dicta *l.* 10. *§. tertio gradu.* quod trigintaduæ perſonæ tertio gradu diſtantes numerantur de jure Civili, quod ita intelligitur; in linea recta ſurſum, ſunt octo perſonæ ſ. quatuor Proavi, & quatuor Proaviæ, nam datur Pater Avi paterni, Pater Avi materni, Pater Aviæ paternæ, & Pater Aviæ maternæ, iſti ſunt quatuor Proavi: Proaviæ quoque quatuor perſonas complectitur, nam datur Mater Avi paterni, & Mater Aviæ paternæ, item Mater Avi materni, & Mater Aviæ maternæ. In linea recta deorſum ſunt octo aliæ perſonæ, Pronepotum quatuor, & Proneptum quatuor, nam datur Pronepos, & Proneptis deſcendens à Nepote ex filio, datur Pronepos, Proneptis deſcendens à Nepte ex filio; item datur Pronepos Proneptis deſcēdens à nepo-

te ex filia,&Pronepos Proneptis descendens à nepte ex filia,& sic sunt quatuor Pronepotes,& quatuor Proneptes, undè in linea recta sunt sexdecim personæ tertio gradu distantes. In linea transversali sunt sexdecim aliæ personæ, quia sunt duo Patrui.s. frater consanguineus tui Patris, & frater uterinus tui Patris; duæ Amitæ,scilicet soror consanguinea tui Patris, & soror uterina tui Patris; duo Auunculi, scilicet frater consanguineus tuæ matris, & frater uterinus tuæ matris, & duæ Materteræ, scilicet soror consanguinea tuæ matris, & soror uterina tuæ matris: istis correspondent quatuor nepotes, & quatuor neptes; nam datur nepos ex fratre consanguineo, nepos ex sorore consanguinea, nepos ex fratre uterino, & nepos ex sorore uterina; item datur Neptis ex fratre consanguineo, neptis ex sorore consanguinea, neptis ex fratre uterino, & neptis ex sorore uterina,& ita numeratis omnibus istis personis reperiuntur personæ triginta duæ tertio gradu distantes de jure Civili,quæ distinctio, & numeratio personarum ad nihil deservit, imò potius confusionem parit.

Quarto gradu in linea recta, tàm de jure Canonico, quàm Civili sunt Abavus Abavia cum Abnepote, Abnepte *can. primo §. gradu. quarto gradu. instit. de grad.cognat.§.quarto gradu.l.p.& 10. §. quarto gradu. D.de gradib. affinit.*

In linea transversali de jure Canonico quarto gradu lineæ æqualis distant Pronepotes, & Pronepotes ex fratribus, vel sororibus, qui etiam quarto gradu inæquali distant à Propatruo, Proauunculo, Promatertera, Proamita, & à filiis, nepotibus, ac pronepotibus illorum, ut ex figura lineæ collateralis inæqualis posita supra fol.140.patet.Ubi advertas, quod non debes sumere cellulam illam in qua dicitur Pronepos, Proneptis, quia isti non sunt pronepotes fratris, sed fratris nepotes, ut patet, sunt tamen pronepotes respectu communis stipitis, sed sumere debes cellulam ubi dicitur Abnepos,Abneptis,quia isti sunt pronepotes fratris. Jure verò civili quarto gradu distant in linea collaterali filii fratrum, & sororum ad invicem comparati, qui dicuntur fratres Consobrini, Amitini, vel Patrueles, & unusquisque illorum quarto gradu distat à Patruo Magno, Amita Magna, Auunculo Magno, Matertera Magna, *l.p.§. quarto gradu. & l. 10. §. quarto gradu.D.de grad.affinit.*

Dicitur in dicta *l.10. §. quarto gradu,*

gradu.quod de jure Civili octoginta personæ sunt in quarto gradu, & talis numeratio personarum fit hoc modo, in linea recta sursũ sunt octo Abavi,& octo Abaviæ, cum enim dictum sit supra, quod datur ex parte Patris Avus paternus, & Avia paterna, quilibet ex istis habet suum patrem,& matrem, qui respectu tui dicuntur Proauus, & Proavia, & sic ex parte Patris sunt duo Proavi,& duæProaviæ, scilicet Pater Avi, & Pater Aviç, Mater Avi, & Mater Aviæ, & quia quilibet ex istis, etiam habet suum patrem, qui respectu tui dicuntur Abavus, Abavia, ideo sunt quatuor Abavi, & quatuor Abaviæ ex parte Patris: totidem sunt ex parte matris, si eodem modo discurras,ut de patre dixi, ideo in linea recta sursum sunt octo Abavi, & octo Abaviæ. In linea recta deorsum sunt octo Abnepotes,& octo Abneptes, quia octo descendunt à filio, & octo à filia, nam à filio descendit Nepos, Neptis; à Nepote descendit Pronepos, Proneptis, à Nepte etiam descendit Pronepos, Proneptis, & sic ex parte filii sunt duo Pronepotes, & duæ Proneptes, quilibet ex istis generat filios,& filias,& sic habentur quatuor Abnepotes,& quatuor Abneptes ex parte filii, totidem habentur ex parte filiæ, si eodem modo procedas descendendo, ut de filio dixi, & ita in linea recta habentur trigintaduæ personæ in quarto gradu. *l.10.§.Abnepos Abneptis.D.de grad.affinis.* In linea transversali sunt quadraginta octo personæ in quarto gradu, quia sunt quatuor personæ Patrui Magni, nam Patruus Magnus est frater tui Avi, Avus autem, vel est paternus, vel maternus, & quilibet ex istis habet fratrem uterinum, vel consanguineum, ideo sunt quatuor fratres tui Avi, qui respectu tui,Patrui Magni dicuntur; dantur etiã quatuor Amitæ Magnæ:quatuor Auunculi Magni: quatuor Materteræ Magnæ, si eodem modo, ut de patruo dixi, discurras; qui omnes in quarto gradu sunt cum nepotibus, & neptibus fratris,vel sororis, & isti nepotes, & neptes sedecim personæ numerantur, quibus si addas fratres Patrueles, & sorores Patrueles, fratres Amitinos, & sorores Amitinas, fratres Consobrinos, & sorores Consobrinas, quæ personæ sedecim numerantur; habebis numerum quadraginta octo personarum in linea collaterali, qui numerus additus numero lineæ rectæ, integrat numerum octoginta personarum,

l.10.§.quarto gradu.cum seqq.D. de grad.affinit.

Si autem scire desideras quomodo fratres,& sorores Patrueles, Amitini, Amitinæ, &c. sint sedecim, advertas, quod filii tui Patrui, respectu tui dicuntur fratres,& sorores Patrueles: & quia Patruus dupliciter accipitur, nam vel est frater consanguineus tui Patris, vel frater uterinus, ideo datur filius, & filia ex dicto fratre consanguineo tui Patris,& filius, filia fratris uterini tui Patris, & sic ex parte Patrui sunt quatuor personæ. Eodem modo discurras de Auunculo,Amita, & Matertera, & ita habes sedecim personas sub appellatione fratris, & sororis Patruelis, Amitini, Amitinæ,Consobrini,Consobrinæ.Nepotes, ac Neptes, qui sunt in quarto gradu cum Patruis, Auunculis, Amitis,& Materteris, etiam sedecim numerantur, quia datur nepos ex filio fratris consanguinei, & neptis ex filio fratris consanguinei: datur nepos ex filia fratris consanguinei,& neptis ex filia fratris consanguinei, & sic sunt quatuor personæ. Secundò ex fratre uterino datur nepos ex filio,& neptis;Similiter datur nepos,& neptis ex filia fratris uterini, & ita sunt quatuor aliæ personæ, quæ cum superioribus numeratæ sunt octo. Eodem modo discurrendo habentur octo aliæ personæ ex sorore, nam ex sorore consanguinea habetur nepos ex filio, & nepos ex filia, item habetur neptis ex filio, & neptis ex filia. Ex sorore uterina similiter habetur nepos ex filio, & nepos ex filia, neptis ex filio, & neptis ex filia, & ita completur numerus sedecim personarum in nepotibus, & neptibus ex fratre, ac sorore.Videas tex.in dicta *l. 10. §.fratris, sororisque nepos. D. de grad. affinit.*

Pro completa explicatione *d. §.fratris,sororisq;nepos.*advertas, quod *Petrus Loriot.* in citato §. dicit Paulum in fine dicti §. corruptum esse dum dicit: *fratrum, sororumque meorum nepotes, neptesque,item mei inter se consobrini sunt*;nam ut dicit *Loriot.* Consobrini sunt duorum fratrum, nō nepotum filii,unde concludit:*Et idcirco arbitror hic legendum esse fratrum nepotes inter se sobrini sunt: nam tales nepotes sunt duorū consobrinorum filii;facile n.fuit loco dictionis sobrini, scribere,consobrini*. Verùm locus Pauli corruptus non est, & malè corrigitur à *Lorioto*, nam ex recensitis verbis *tex.* habetur, quod nepotes mei fratris, & sororis, cum meis filiis consobrini sunt, cum ibi legatur:

gatur: *fratrum, sororumque meorum nepotes, neptesque, item mei, inter se consobrini sunt.* Ego autem nepotes appello filios mei fratris, & sororis, non verò nepotes descendentes ex meo fratre, & sorore, quia isti sunt mihi pronepotes; cum igitur filii mei fratris, vel sororis sint mei nepotes, dum Paulus dicit, *item mei* intelligit, quod item mei filii sunt cõsobrini cum filiis mei fratris, vel sororis, & ità rectè, & non corruptè loquitur; non.n. est credendũ Paulum in brevi curriculo verborum, ita errasse, dùm in §. superiori dixit, quod consobrini, sunt filii fratrum, & sororum, secũdum cõmunẽ significationem.

Quinto gradu in linea recta, tàm de jure Canonico, quàm civili sunt Atavus, Atavia cum Atnepote, Atnepte *can. primo gradu. §. quinto gradu. 35. q. 5. l. 1. §. quinto gradu. & l. 15. §. quinto gradu. D. de grad. affinit. Instit. de grad. cognat. §. quinto gradu.*

In linea transversali ęquali de jure Canonico quinto gradu sũt Abnepotes tui fratris, vel sororis à tuis Abnepotibus, isti sunt Pronepotes fratrum, & sororum Patruelium, Cõsobrinorum, &c. ut patet ex arbore, quam posui supra *fol.* 103. In linea verò trãsversali inæquali quinto gradu distant de jure Canonico Abnepos, Abneptis ab Abpatruo, Abavunculo, Abamita, Abmatertera, sicut etiam quinto gradu veniunt cum istorum Filiis, Nepotibus, Pronepotibus, & Abnepotibus, secundùm regulam, quæ traditur pro numerandis gradibus de jure Canonico: sed cum Abnepotibus Abpatrui, vel Abavunculi, &c. sunt in quinto gradu ęquali, ut dictum est. Ne tamen confundaris quando recurris ad arborem, quam posui fol. 104. advertas, quod in præsenti casu non debes recurrere ad cellulam, in qua dicitur Abnepos, Abneptis, quia ista cellula respicit stipitem, & dicitur Abnepos respectu stipitis, sed debes recurrere ad cellulam, in qua dicitur Atnepos, Atneptis, quia isti respectu cellulæ, ubi dicitur Filius Filia, sunt Abnepotes, Abneptes. Idem advertas in figura, fol. 103. nam ibi habetur, quod Atnepos distat ab alio Atnepote quinto gradu, sed talis cellula Atnepos Atneptis, est respectu cellulæ Pater, Mater, non verò respectu cellulæ filius filia, & ego hìc loquor de Abnepote respectu cellulę Filius filia, quod semper hìc est advertẽdum, dum de aliis gradibus loquor.

Jure verò Civili in linea collaterali quinto gradu distãt Propatruus, Proavunculus, Proamita,

ta, Promatertera à Pronepote, vel pronepte fratris, vel sororis *l. 1. §. quinto gradu. & l. 10. §. quinto gradu. D. de grad. affinit. Instit. de grad. cognat. §. quinto gradu.* Item quinto gradu sunt fratris, vel sororis Patruelis, Consobrini, Cõsobrinæ, Amitini, Amitinę, filius, filia, cum propiore Sobrino, vel propiore Sobrina, idest cum illo, qui est propius Sobrino, vel propius Sobrina, *l. 1. §. quinto gradu. l. 10. §. patrui magni filius. D. de grad. affinit.* propius autem Sobrino est filius, vel filia Sobrini, undè ego cum filio, vel filia mei Patrui magni, Avunculi magni, &c. sum in quinto gradu de jure civili, ut videre vales in figura, quam posui, fol. 118. & fol. 104. Non insisto in explicatione *tex. in l. 10. §. quinto gradu. cum aliis seqq.* quia potius mentem legentis confunderem, quàm dilucidarem, nec aliqua utilitas ex illius explicatione habetur, ut legenti textum, clarum erit.

Sexto gradu in linea recta tàm de iure Canonico, quàm Civili sunt Tritavus Tritavia, à Trinepote Trinepte *can. primo gradu. §. sexto gradu. 35. q. 5. l. 3. & 10. §. sexto gradu. D. de grad. affin. Instit. de grad. cognat. §. sexto gradu.*

In linea collaterali æquali sexto gradu sunt de iure Canonico Atnepotes tui fratris, vel sororis cum tuis Atnepotibus, Atneptibus. In linea verò transversali inæquali sexto gradu distant dicti Atnepotes, Atneptes à suis Atpatruis, Atavunculis, Atamitis, Atmaterteris, nec non ab eorum filiis, nepotibus, pronepotibus, & Abnepotibus. Jure tamen Civili in linea collaterali sexto gradu distant, vel sunt fratris, & sororis abnepos, abneptis, cum eorum Abpatruo, Abavunculo, Abmatertera, Abamita. Item sexto gradu distas tu à filio, vel filia tui Propatrui, Proavunculi, Proamitæ, Promaterteræ. Sexto etiã gradu sunt, & distant de iure Civili filii, & filiæ fratrũ Patruelium, Amitinorum, vel Consobrinorum, qui invicem dicuntur Sobrini, Sobrinæque, *l. 3. & l. 10. §. sexto gradu. D. de grad. affinit. Instit. de grad. cognat. §. sexto gradu.* Hoc modo reliquos gradus numerare vales. Et quia nihil aliud mihi videtur desiderandum in hac materia, ideò, amice Lector, vale, tractatum claudo, ad Dei laudem, in Festivitate S. Andreæ Apostoli. Ann. 1699.

FINIS.

SERIES
CAPITUM, AC QUÆSITORUM,
Quæ in ſecunda Parte hujus tractatus Continentur.

Q. 6.

S E

SERIES

CAPITUM, AC QUÆSITORUM,

Quæ in Tertia Parte hujus Tractatus continentur.

INDEX

I N D E X

Rerum, Verborum, ac Sententiarum omnium, quæ in Prima, Secunda, & Tertia hujus Tractatus Parte continentur.

Serie Alphabetica, suis certis vocibus quam commodius fieri potuit restitutis.

Primus numerus Partem, secundus Folium, tertius Columnam significat.

ACTIO.

ACTUS.

ne-

A a coram

AFFI-

AFFINITAS.

Non

Affi-

Bb AGNA-

ALIENATIO.

ARGUMENTUM.

ARISTOTELES.

ARMA ET INSIGNIA.

AR-

na-

ASCENDENS.

ATTESTATIO.

ATTINENTIA ATTINENTES.

AUGUMENTUM DOTIS.

AUTHOR.

Sum-

dis

Causa

CLERICUS.

COGNATI.

COGNATIO.

COGNATIO LEGALIS.

Non

COM-

COMMISSIO.

cum

CONCESSIO.

CONCILIVM.

CONCVBINA.

CONDITIO.

CONFESSARIUS.

CONFESSIO.

CONFISCATIO.

CONIVGES.

Con-

Con-

di-

DA-

DE-

DISPENSARE.

ni-

DISPOSITIO.

DISTANTIA.

sa

EXA-

EXAMINATOR.

EXCOMMVNICATIO.

EXCOMMUNICATUS.

Fa-

Hoc

ten-

Idem

ra.

Ma-

Fi-

FOR-

FORVS.

FRATER.

actu

Gradu

He-

HONOR.

HOSTIS.

I.

IACOB.

IANITRICES.

IGNORANTIA.

IMA-

Im-

Ince-

INCESTVOSVS.

JV-

Iuspa-

LE-

Legi-

rare

LIS.

LITERÆ APOSTOLICÆ.

Ma-

OPVS.

ORATOR.

OPVS.

ORATORIVM.

ORDINARIVS.

ORDO.

OSCVLVM.

PAR-

PARRICIDIVM.

PATER.

PATRES SOCIETATIS.

PATRIA.

Est

POENA.

Pon-

Ponti-

Pri-

ve-

ca

PV-

Re-

RE-

nia-

SO-

SECVRITAS.

SELEVCHUS.

SENTENTIA.

SEPARATIO.

SEPVLCRVM, SEPVLTVRA.

SERVITIUM.

SERVITVS.

SERVUS.

SIGILLVM.

SOBRINVS.

SO-

SO-

SOCER SOCRVS.

SODOMIA.

SOROR.

SORORIA.

SPECIES.

SPOLIA.

SPONSA, SPONSUS.

SPONSALIA.

SOCER SOCRVS.

SODOMIA.

SOROR.

SORORIA.

SPECIES.

SPOLIA.

SPONSA, SPONSUS.

SPONSALIA.

 te,

Li-

SPVRII.

STATVS LIBER.

STATVTVM.

ob

SVBSTITVTIO.

SVCCESSIO.

Suc-

De-

TEXTVS.

THAMAR.

TORTVRA.

TRACTATVS.

TRIDENTINVM.

FINIS.

1.

2.

3.

CON:

CONSILIUM UNICUM

An Clerici, & Sacerdotes seculares valeant hodie suscipere tutelam testamentariam.

ARticulus iste fuit à me tactus in *p.1. huius tract. fol.443. col.2. vers. Quadragesimo octavo*, ubi breviter dixi, quod ad tutelam legitimam admittuntur volentes, ad tutelã verò extraneorum nullo modo admitti valent, ita etiam tenet *Constant. Cæsaro in specul. peregrin. qq. forensium q. 19. §. 2.* qui sub *n.* 12. dicit, quod de anno *1650.* die 8. Octobris ita per M.C.V. obtinuit, & per S.R.C. die 15. Decẽb. fuit confirmatum tale decretum in causa appellationis, & refert omnes Authores pro tali sententia, quibus addo *Iacob. Pignatell. to. 5. consult. 10.* qui sub *n. 2.* refert *Castillum lib. 1. dec.* 82. asserentẽ, quod in una, eademque causa quinto ventilatus fuit articulus iste, & bis fuit pro affirmativa conclusum, ter verò pro negativa.

1.

2.

3. Communis ergo *DD.* opinio est, paucis tamen exceptis, quod Clericus, & Sacerdos secularis non potest dari tutor in testamẽto extraneorum, neque Iudex secularis potest illum tutorem dare, quia tutelæ, vel curatelæ munus est Clericis interdictum tam de jure Civili, quàm de jure Canonico; tutelam verò legitimam Agnatorum, vel Cognatorum non cogitur suscipere, si tamen vult, potest illam suscipere; cum licentia tamen Iudicis Ecclesiastici, quæ debet esse in scriptis. *Pignatell loc cit. n. 11. & 12.* Idẽ dicunt de tutela testamentaria Agnatorum, & Cognatorum, quando si non esset factum testamentum, talis Clericus, ut tutor legitimus veniret, nam tunc invitus non cogitur suscipere tutelam, volens tamen admittitur. Videas *Pignatell. d. consult. 10.* 4.

In uno tantùm casu dicunt, quod potest Clericus cogi, & compelli per Iudicem Ecclesiasticum ad suscipiendam tutelam, quando scilicet esset datus tutor pupillis pauperibus, & miserabilibus, dum laicus tutor eque aptus, & idoneus pro fideli administratione bonorum pupilli non invenitur, quia tunc est opus pium, & ut tale, à Clerico recusari non potest. *can. pervenit. dist. 86.* Dicitur autem pupillus persona miserabilis, & pauper, 5. 6.

quando est solus, nec habet consanguineos, qui essent idonei ad tutelam administrandam. *Pignatell. to.5. consult.10.n.5.*

7. Iura Canonica, in quibus fundantur isti Authores, sunt *tex. in can. pervenit. dist.86.* cujus verba sunt: *Pervenit ad Sanctam Synodum, quia de iis, qui in Clero connumerantur, quidam propter turpis lucri gratiam, alienarum possessionum conductiones, & causas seculares suscipiunt; & à sacris quidem officiis, se per desidiam separant, ad domos autem seculariũ concurrunt, & substantiarum eorũ gubernationes avaritiæ causa suscipiunt. Decrevit ergo sancta, & magna Synodus, neminem horum deinceps, hoc est Episcopum, sive Clericum, aut Monachum conducere possessiones, aut misceri secularibus procurationibus, nisi forte, qui legibus ad minorum ætatum tutelas, sive curationes inexcusabiles attrahũtur, aut cui civitatis ipsius Episcopus Ecclesiasticarum rerum commiserit gubernacula, vel orphanorum, ac viduarum, quæ indefensæ sunt, & earum personarũ, quæ maximè Ecclesiastico indigent adminiculo propter timorem Dei, &c.*

8. Secundo adducunt *tex. in can. neque apud altare. dist. 88.* cujus verba sunt: *Neque apud altare Dei meretur nominari in Sacerdotium prece, qui ab altari Sacerdotes, & ministros voluit avocare; & ideò Victor, cum contra formã nuper in Concilio à Sacerdotibus datam Geminium Faustinum presbyterum ausus sit tutorem constituere, non est, quod pro dormitione eius apud vos fiat oblatio, aut deprecatio aliqua nomine ejus in Ecclesia frequentetur: ut Sacerdotum decretum religiosè, & necessariè factum servetur à nobis.*

9. Tertio adducunt *tex. in can. generaliter sancimus. 16. q. 1.* in quo tex. Gratianus transcripsit verba *tex. in l. generaliter. C. de Episcop. & cleric.* de quibus infra.

10. Et quarto citant *tex. in can. Cyprianus 21. q. 3.* cujus verba sunt: *Cyprianus presbyteris, & diaconis, & plebi Furnis consistentibus salutem. Iam pridem in Concilio Episcoporum est statutum, ne quis de clericis, & de ministris tutorẽ, vel curatorem testamento suo nominaverit: quandoquidem singuli divino Sacerdotio honorati, & in clericorum ministerio constituti, non nisi altari, & sacrificiis deservire, & precibus, atque orationibus vacare debeant. Scriptum est enim: Nemo militans Deo, &c. ut possit placere ei, qui se probavit. Quod Episcopi, & antecessores nostri religiosè considerantes, & salubriter providentes censuerunt, ne quis decedens ad tutelam, vel curam clericum*

ricum nominaret: at si quis hoc fecisset, non offerretur pro eo; nec sacrificium pro dormitione eius celebraretur. Neque enim apud altare Dei meretur nominari in Sacerdotum prece, qui ab altari Sacerdotes, & ministros volunt avocare.

10. Iura Civilia, quæ à dictis DD. citantur, sunt primo *tex. in l. Generaliter. 50. C. de Episcop. & cleric.* verba tex. sunt; *Generaliter sancimus omnes viros Reverendissimos Episcopos, necnon presbyteros, diaconos, & subdiaconos, & præcipuè monachos (licet non sint clerici) immunitatem ipso iure omnes habere tutelæ sive testamentariæ, sive legitimæ, sive dativæ; & non solùm tutelæ eos esse expertes, sed etiam curæ, non solùm pupillorum, & adultorũ, sed & furiosi, & muti, & surdi, & aliarum personarum, quibus tutores, vel curatores à veteribus legibus dantur. Eos tamen clericos, & monachos huiusmodi habere beneficium sancimus, qui apud sacrosanctas Ecclesias, vel Monasteria permanent, non divagantes, neque circa divina ministeria desides, cum propter hoc ipsum beneficium eis indulgeamus, ut aliis omnibus derelictis, Dei omnipotentis ministeriis inhæreant. Et hoc non solùm in vetere Roma, vel in hac regia civitate, sed & in omni terra ubicumq; Christianorum nomen colitur, obtinere sancimus.*

Secundo adducunt *tex. in Auth. Presbyteros. C. de Episcop & cleric.* verba tex. sunt: *Presbyteros, diaconos, aut subdiaconos iure cognationis, ad tutelam, vel curam vocatos, suscipere permittimus; si tamen intra quatuor menses, ex quo vocati sunt, apud Iudicem cõpetentem in scriptis declaraverint talem administrationem propria se voluntate suscepisse;* & infra: *Episcopos autem, vel monachos tutelã alicuius personæ subire non permittimus.* 11.

Tertio adducunt *tex. in §. Deo autem amabiles. de Sanctis. Episcop.* verba tex. sunt: *Deo autem amabiles Episcopos, & Monachos ex nulla lege tutores, aut curatores cujuscunque personæ fieri permittimus. Presbyteros autem, & Diaconos, & Subdiaconos jure, & lege cognationis tutelam, aut curam suscipere hæreditatis permittimus, proprio, & solo gradu cognationis ad tutelam, & curam vocatis, huiusmodi suscipere administrationem permittimus, si tamen intra quatuor menses, ex quo vocati sunt apud competentem Iudicem scripto declarent, talem administrationem propria voluntate suscepisse, &c.* 12.

Ex his juribus indubitanter probata eorum opinio asseritur 13.

a lu-

à supracitatis *DD.* Undè *Cæsarus loc.cit.* magnū festum facit, quod ipse victoriam causæ ex his iuribus reportavit, contra inveteratam praxim M.C.V. ut tradit in *d.q.19. n.10.12. & 13.*

14. Verùm quia Judices M.C.V. ut plurimum sunt viri doctissimi, ac in legali scientia consummati, assumpti ad ministerium post longum advocationis exercitium, credere nunquam potui illos in proprio officio errasse, ignorando leges, cum turpe sit
15. jus in quo quis versatur ignorare, *l.2. §.servius autem.D.de origin.iuris;* ideò semper in præsenti quæstione animum suspensum habui; undè quia post impressionem primæ partis, data mihi fuit occasio examinandi articulum, attentè consideravi jura jam supra relata, & cognovi ex verbis tex. quod opinio prædicta non est universaliter vera; ideò mihi licitum est dicere, quod autho-
16. rum multitudo non semper facit, ut meliùs, & equiùs judicetur, ut tradit *Imp.Justin.in l.p. §. sed neq; C.de veter.iur.enucleand.*
17. unde me ipsum corrigo ab eo quod in prima parte scripsi, cū melius sit se ipsum corrigere, quam aliorum correctionem expectare *Auth. de nupt. §. nos autem.*
18. Mea igitur sententia est, quod Clerici, & Sacerdotes seculares, qui servitio Ecclesiæ ascripti sūt non possunt suscipere tutelam dativam, nec testamentariam extraneorum: Tutelam verò legitimam, vel testamentariam Agnatorum, vel cognatorum suscipere possunt, si eorum accadat voluntas. Illi verò Clerici, & Sacerdotes, qui servitio Ecclesiæ ascripti non sunt, possunt, si volunt, suscipere etiam tutelam testamentariam extraneorum, ad id tamen cogi non possunt. Episcopi tamen, & Monachi ab omni penitùs tutela sunt exclusi de iure civili, & solùm possunt esse exequutores testamentarii, qui etiam nomine tutorum significantur. 20

Quantum ad primam partem 19. mei dicti, sc. quod Clerici, & Sacerdotes seculares, qui servitio Ecclesiæ sunt ascripti non possunt recipere tutelam dativam, vel testamentariam extraneorū, bene verò possunt recipere tutelam legitimam, communiter admittitur ab omnibus, nec est unus, qui oppositum sentiat; patet etiam ex *can.pervenit.dist.86.* ibi: *de his qui in clero cōnumerantur.can.Cyprianus.21.q.3.* ibi: *& in clericorum ministerio constituti.* & clarius ex *l generaliter. C.de Episcop.& Cleric.* ibi: *eos tamen clericos, & monachos huiusmodi bene-*

beneficium habere sancimus, qui apud sacrosanctas Ecclesias, vel monasteria permanent, non divagantes, nec circa Divina ministeria desides, &c.

20. Quantum verò ad secundam partẽ videl. quod Clerici, & Sacerdotes non ascripti servitio Ecclesiæ possint suscipere tutelam testamentariam extraneorum Probatur ex eisdem juribus, siquidem in *l. generaliter. C. de Episc. & cleric.* expresse habetur, quod beneficium immunitatis, seu excusationis à tutela testamentaria, legitima, & dativa conceditur *clericis, & monachis, qui apud sacrosanctas Ecclesias, vel Monasteria permanent, non divagantes, neq; circa Divina ministeria desides, cum propter hoc ipsum beneficium eis indultum sit, ut omnibus aliis derelictis, Dei omnipotentis ministeriis inhereant.* Ex quibus verbis patet, quod illi clerici, vel monachi habent immunitatem à tutela, qui servitio Ecclesiæ sunt ascripti, à quibus discedere non est eis licitum sine licentia, ne Divinum ministerium deseratur, quæ fuit causa finalis concessionis privilegii predicti, ibi: *cum propter hoc ipsum beneficium eis indultum sit, &c.* ergo illi clerici, & sacerdotes, qui servitio Ecclesiæ non sunt ascripti, nec Divinis misteriis deputati, cum onere non discedendi à tali Ecclesia, possunt tutelas suscipere. Imò ut 21.
ex d. *l. generaliter* clarè colligitur, clerici, non ascripti servitio Ecclesiæ, qui desides, divagantesq; appellantur, à nulla tutela excluduntur, sed tanquam laici cogi valẽt ad illas suscipiendas, quia in d. l. dicitur, quod habent immunitatem ipso jure à tutela testamentaria, legitima, & dativa clerici, & monachi servitio Ecclesiæ deputati permanenter, beneficium autem immunitatis nõ est inhabilitas ad tutelã exercendam, sed est privilegium excusationis, inquantum possunt se excusare à dictis tutelis, ut est beneficium immunitatis concessum illis, qui ob numerum filiorum, vel tutelarum, vel ob alias causas, de quibus in *tit. Instit. de excusat. tutor.* se excusant à recipienda tutela, qui tamen possunt dicto beneficio non uti, & tutelas suscipere, ergo clerici qui apud sacrosanctas Ecclesias non permanent, quia eis tale beneficium non est concessum, se excusare non possunt à tutelis, virtute dictæ *legis generaliter*; verũ 22.
quia talis lex est lata à principe laico, qui nullam habet potestatem in clericos, cum isti proprios iudices habeant, ut determinarunt Valentinianus, Theodosius,

& Ar-

& Arcadius Imperatores *can. cõtinua lege.* 11. *q.* 1. ideo ex iure canonico est desumendum argumentum, an clerici non ascripti Ecclesiæ servitio, valeant tutelas suscipere.

23. Et quidem in *can. pervenit. dist.* 86. fit tantùm mentio de clericis deputatis servitio Ecclesiæ, quibus permittitur suscipere tutelam legitimam tantùm, non verò de illis, qui non sunt deputati servitio Ecclesiæ, ibi: *quia de iis, qui in clero connumerantur*, & infra, ibi: *& à sacris quidem officiis se per desidiam separant*: idem pat. ex *can. neq; apud altare. dist.* 88. ibi: *qui ab altari Sacerdotes, & ministros voluit avocare.* & ex *can. Cyprianus* 21. *q.* 3. ibi: *Quandoquidem singuli divino Sacerdotio honorati, & in clericorum ministerio constituti, nonnisi altari, & sacrificiis deservire, & precibus, atque orationibus vacare debeant*. Remanet ergo, quod de jure canonico possunt clerici apud sacrosanctas Ecclesias non permanentes suscipere onus tutelæ testamentariæ, quia de istis nulla mentio facta est in sacris canonibus, & sic observandum est, quod de iure communi reperitur de ipsis dispositum, qua ratione Gratianus inter decreta reposuit totum id, quod erat dispositum in *l. generaliter, C. de Episc. & cleric.* ut patet ex *can. generaliter sancimus.* 16. *q.* 1.

Nec ista mea opinio est destituta authoritate *DD.* nam *Navar. lib.* 8. *Ne cleric. vel monachi. consf.* 1. *n.* 2. dicit, quod *Presbyteri, & Episcopi possunt omnes tutelas suscipere si volunt, sine ullius alterius licentia, modo non suscipiant illas gratia turpis lucri, vel avaritiæ, vel ad aliũ finem malũ.* 24.

Secundo *Brognin. Cavalcan. in tract. de tutor. & curat. n.* 288. dicit, *quod licet Aretinus in consf.* 26. *col.* 2. *vers. circa secundum dubium. teneat, Monachum, & clericum non posse esse tutores, nec curatores, tamen intelligendum est eius dictũ, quod non possunt cogi à Iudice, sed si volunt esse tutores, benè possunt esse, habita licentia superioris.* 25.

Tertio *Zerol. in prax. ecclesiast. p.* 1. *verb. Tutor.* §. 6. dicit: *Tutor, exequutor testamenti, & curator potest esse nedum presbyter secularis sed etiam religiosus, modo hoc faciat de licentia sui superioris, & non turpis lucri gratia.* Istis addo *Barbos. in l. generaliter. C. de Episc. & cleric.* 26.

Et quarto, qui prò mille sufficit *Emin. Cardinalis de Luca de feud. lib.* 1. *discur.* 18. *n.* 4. contra *Carolũ de Grass. effect.* 16. *clericat.* asserentem, clericos posse suscipere tutelam legitimam volentes, 27.

tes,

tes, testamentariam verò non, dicit: *Quod tamen ita absolutè sumptum mihi non satisfacit, quia cum tutela sit munus publicum necessariò à lege civili introductum; benè procedit exemptio clericorum, ne inviti cogantur ad eam suscipiendam, quod indistinctè tam in testamentaria, quàm in legitima, & dativa procedit: sed ubi clericus est volens, non video probabilẽ differentiæ rationem; cur legitimã exercere possit, non verò testamentariam, vel dativam; esset enim alias ex legum civilium dispositione coarctare clericorum libertatẽ, atque clericatus causaret præiudicium, & inhabilitatem, quod Ecclesiæ libertati repugnat*. Et num. seq. respondendo ad canones, qui in oppositum adducuntur,
28. dicit: *Advertendum tamen est non esse decreta, vel constitutiones Põtificum, neque Conciliorum, vel Sanctorum Patrum sententias, sed compilationem privati Authoris, seù transcriptionem legum civiliũ; ideòque receptum habemus, canones decreti non esse omnes canones, neque legis vim habere, nisi ubi* Cõ*ciliaria, vel Pontificia decreta continent, ut firmavit Rota apud Peniam dec. 377. n. 36. & seq. iuxta Venetam impressionem, alias 480. iuxta Lugdunensem n. 16. & seq.*
29. *Unde solùm clericorum volentium inhabilitatem restringendam indefinitè crederem, ubi tutelæ susceptio nullum rationabile motivum haberet, nisi illud lucri, seù suspicionis mali animi, usurpandi bona pupilli, seù ubi onus esset tale, quod à servitio Ecclesiæ, vel beneficii distraheret.*

Ex qua doctrina habetur, quod etiam clerici addicti servitio Ecclesiæ, & residere obligati ratione beneficii, possunt omnes tutelas suscipere, nisi à servitio Ecclesiæ, vel beneficii distraherentur ratione dictæ tutelæ, vel nisi ex motivo lucri, & animo usurpandi bona pupilli vellent tutelam suscipere, ergo à fortiori clerici non addicti servitio Ecclesiæ, nec obligati residere ratione beneficii, possunt dictas tutelas suscipere, cessante tamen motivo usurpandi bona pupilli, quia isti per leges civiles, & per sacros canones non excluduntur à tali munere, cum circa divina ministeria desides sint; & de ipsis adsit præsumptio, quod fidelius defendent pupillum, & bona propter timorẽ Dei. 30.

Concludimus igitur, quod quando clerici, & Sacerdotes seculares affectant tutelas extraneorum, illas sibi procurando propter lucrum, debent à tali tutela excludi, non quia tutelam exercere non possunt, & se negotiis secularibus implicant, alias 31.

nec tutelam legitimam possent exercere; sed quia lucri, & avaritiæ causa moventur, quod debet esse alienum à Sacerdotibus. *can. pervenit. dist. 86.* Quando verò sunt relicti, vel dati tutores, tunc possunt illas suscipere, ex libera tamen eorum voluntate, dummodo non deseratur servitium Ecclesiæ ab illis, qui servitio Ec-
32. clesiæ addicti sunt. Immo ut ex *d. can. pervenit.* colligitur, clerici addicti servitio Ecclesiæ possunt cogi ad tutelam legitimam suscipiendam, ut patet ibi: *nisi forte, qui legibus ad minorum ætatum tutelas, sive curationes inexcusabiles attrahuntur*, quod tamen à nemine recipitur, cum omnes concedant clericis liberam facultatem recipiendi, vel non recipiendi dictam tutelam per *tex. in auth. Presbyteros. C. de Episcop. & cleric. & in auth. de Sanctiss. Episco. §. Deo autem amabiles.*

33. Contra istam nostram sententiam plura possunt ab adversariis opponi. Primo possunt opponere, quod licet in *l. generaliter. C. de Episcop. & cleric.* sit concessa immunitas ab omni tutela clericis tantùm ascriptis servitio Ecclesiæ, tamen talis lex fuit correcta per *tex. in auth. Presbyteros. C. eod.* & per *tex. in §. Deo autem amabiles. auth. de Sanctiss. Episcop.* ubi generaliter, & absque ulla distinctione loquitur de Presbyteris, Diaconis, & Subdiaconis, & determinatur, quod tantùm ad tutelam legitimam admittendi sunt iure cognationis, & lex 34.
generaliter, ac indistinctè loquens, generaliter, & indistinctè intelligenda est. *l. Præses. 3.* ubi *Bart. D. de offic. Præsid. l. Imperator. in fin. D. de postuland.*

Non solum ex hac ratione 35.
colligitur correctio dictæ legis, sed etiam ex eo quia in citata *l. generaliter sancimus.* permittebatur Episcopis, clericis, & Monachis posse suscipere omnes tutelas, accedente tamen eorum consensu; per tex. autem in *Auth. Presbyteros. & in §. Deo autem amabiles.* Episcopi, & Monachi excluduntur ab omni tutela, etiam legitima, ergo tex. in l. generaliter est omnino correctus, nec allegari potest, quia 36.
qui abrogatis legibus utitur falsi reus est *l. 2. C. de veter. iur. enuclean. Felin. in cap. 1. n. 19. de constit. & in cap. fraternitatis. n. 2. de hæretic.*

Secundo possunt opponere, 37.
quod omnes clerici, & Sacerdotes sunt ascripti servitio Ecclesiæ, quia altari, & sacrificiis deservire tenentur *con. duo sunt. 12. q. 1.* ubi dicitur, quod duo sunt genera Christianorum, alterum Divino officio mancipatum, &

Dei

Dei contemplationi deditum, quales sunt clerici, qui ita dicũ-
38. tur à verbo Greco Cleros, quod latinè est Sors: quia de sorte Domini sunt *can. cleros. dist. 21.* alterum verò seculo mancipatum, quales sunt laici, quibus permissum est uxores ducere, terras colere, causas agere, &c. unde in dicto *can. cleros.* dicitur: *Generaliter Clerici nuncupantur omnes, qui in Ecclesia Christi deserviunt, quorum gradus, & nomina sunt hæc Ostiarius, Psalmista, Lector, Exorcista, Acholytus, Subdiaconus, Diaconus, Presbyter, Episcopus;* ergo omnes clerici statim ac sunt ordinati clerici, dicuntur ascripti servitio Ecclesiæ, & turpe est clericum desidem esse, ac vagum, prout dicit *Cafarus peregrinar. qq. forens. q. 19. n. 31. & seq;*

39. Debent igitur omnes clerici, qui Deo militare dicuntur, à negotiis secularibus se abstinere, iuxta illud *Pauli ad Corinth. 2. Nemo militans Deo implicet se negotiis secularibus*, nam cum clericorum officium consistat in immolatione, & consecratione corporis Christi, & in oratione pro populo, atq; in aliis Divinis ministeriis *can. cleros. dist. 21 can. perlectis. dist. 25.* inhonestum nimis esset, clericũ in causis secularibus occupari, quæ res ipsũ vilem reddit, & reverentiam sacerdotalem minuit, ut testatur D. *Gregor. in can. perlatum. dist. 88.*

Tertio possunt opponere, quod hodie ex disposit. *Trid. sess. 23. cap. 16. de reformat.* nullus clericus ordinari potest, nisi sit ascriptus servitio Ecclesiæ, à qua discedere sine licentia Episcopi non potest, verba Concil. sunt: *Cũ nullus debeat ordinari, qui iudicio sui Episcopi non sit, utilis aut necessarius suis Ecclesiis, Sancta Synodus, vestigiis sexti canonis Concilij Calcedonensis inhærendo, statuit, ut nullus in posterum ordinetur, qui illi Ecclesiæ, aut pro loco, pro cuius necessitate, aut utilitate assumitur, non ascribatur, ubi suis fungatur muneribus, nec incertis vagetur sedibus. Quod si locũ inconsulto Episcopo deserverit, ei sacrorũ exercitiũ interdicatur.* Et minores ordines non conferuntur, nisi illis, qui in unoquoq; munere, iuxta prescriptum Episcopi, se exercuerunt in Ecclesia, in qua fuerunt ascripti *Trid. l. cit cap. 11.* & ad sacros ordines similiter nõ admittũtur, nisi Ecclesiis quibus fuerunt ascripti inservierint *Trid. l. cit. cap. 13.* ergo nullus clericus hodie dici potest non ascriptus servitio Ecclesiæ, ergo nullus clericus potest suscipere tutelam testamen- 40.

tariam extraneorum.

41. Quarto possunt opponere, quod communis DD. sententia est, quod clerici, & sacerdotes seculares non possunt esse tutores testamentarii, ut patet ex citatis per *Cæsarum dicta q. 19.* ergo temerarium est contrarium defendere, quia non est verisimile tot DD. fuisse allucinatos, & tex. non intellexisse.

42. His tamen non obstantibus tenenda est opinio, quod Clerici, & Sacerdotes seculares non addicti servitio Ecclesiæ possunt esse tutores testamentarii extraneorum, quando illam suscipere volunt, sicut etiam possunt esse tutores dativi, sed nullo modo cogi valent ad dictas tutelas suscipiendas, ut salvetur immunitas Ecclesiastica, & constituatur discrimen inter Clericum, & Laicum. Remanet modo, ut solvantur in contrarium adducta.

43. Ad primam igitur rationem dicimus, quod falsissimum est *tex. in l generaliter.* fuisse correctum per *tex. in Auth. Presbyteros. C. de Episcop. & cleric.* & per *tex. in §. Deo autē amabiles. Auth. de sanctiss. Episcop.* idq; pluribus

44. rationibus firmatur. Primo quia, quando totaliter lex corrigitur, & tollitur dicitur *Abrogata*, quādo verò partialiter tollitur dicitur *Derogata l. derogatur legi, aut abrogatur*; *derogatur legi cum pars detrahitur*; *abrogatur legi cum prorsus tollitur. D. de verb. signific.* Cum igitur d. *lex generaliter.* non sit totaliter sublata per iura supra citata, non potest dici Abrogata, & totaliter correcta; quod autem non sit totaliter sublata ex eo patet q. in d. *l. generaliter.* permittebatur Episcopis, & Monachis posse suscipere omnes tutelas, habebant tamen privilegium immunitatis; id tamen fuit correctum per *tex. in Auth. Presbyteros. C. de Episcopis, & cleric* & per *tex. in §. Deo autem amabiles. Auth. de Sanctiss. Episcop.* Presbyteris verò Ecclesiæ dicatis permissum erat in dicta *l. generaliter.* suscipere omnes tutelas, testamentarias, legitimas, & dativas, quod tamen non fuit totaliter correctum, per iura supra citata, nam admittuntur isti ad tutelas legitimas, ergo lex illa non fuit Abrogata, sed derogata. Præterea correctio 45.
legum est vitanda quantum fieri potest *Bartol. in §. posthumo. n. 3 Instit. de legat.* Jason. *in l. si post mortem. §. si purè. n. 9. D. de legat. 1. ex l. unic. in fin. C. de inoffic. donat. & ex cap. cum expediat. de elect. in 6.* & non debet admitti 46.
totalis correctio legis, nisi lex corrigens faciat specialem mentio-

tionem de lege quam corrigit, ut tenet *Lud.* relatus ab *Alexãd. ad Bartol. in l. legem iuliam. §. sed quia. C. de indict. viduit. tollend.* & p. ex *Auth. de hæredib. ab intest. venient. in princ. & ex Auth. ut fratrum filii. in princ. Franch. dec. 531. n. 7. ex l. præcipimus. C. de appellat. & dec. 666. n. 4. Auth. ut sine prohibit. matres debitrices. §. quia verò. & §. propterea.*

47. Addo, quod licet tex. in *l. generaliter.* corrigatur per illa iura subsequentia, tamen lex ista nova generaliter loquens debet distingui secundum legem veterem, ut per iura, & DD. apud *Franch. dec. 531. n. 8. & dec. 666. n. 5.* ergo si tex. in d. *l. generaliter* loquitur de clericis addictis servitio Ecclesiæ, de illis etiam debent intelligi leges subsequentes, nec de aliis clericis, & presbyteris, quam de ascriptis servitio Ecclesiæ intelligi debent, quia tunc temporis omnes ferè Ecclesiastici tempore ordinationis intitulabantur Ecclesiis, in quibus eorum officia exercebat, & quarum redditibus vivebant, ut dicemus. Vnde *Lud. Imperator in Const. 68. tit ut Monachi, & clerici tutores esse possint.* quam fecit ad explicationem tex. in *Novella 123. §. Deo autem amabiles.* dicit, quod excluduntur ab exercitio, & administratione tutelæ, *qui Divino ministerio consecrati sunt.* quia isti *ab externarum rerum occupationibus, et molestijs liberos esse oportet*, ergo tex. in §. *Deo autem amabiles.* loquitur de clericis addictis servitio Ecclesiæ, ut loquebatur tex. in *l. generaliter.* in quo sensu etiam loquuntur iura canonica.

Ad secundam rationem dicimus, quod in principio Ecclesiæ ita fuit, at hodie non ita universaliter servatur; pro cujus responsionis intelligentia.

Sciendum est, Christum Dominum suæ prædicationis tempore victum accepisse una cum suis Apostolis ex his, quæ a fidelibus, piisque personis subministrabantur, quod etiam fuit ab Apostolis, & aliis primis Christianis diligenter servatum, dum communem vitam agentes, omnia ad pedes Apostolorum deferebant, ut pro necessitate cujusque distribuerent, ut patet ex *Actib. Apostol. cap. 4.* & ex *can. dilectissimis. 12. q. 1.* & ita in ipso primo sæculo Ecclesiæ, prædia, & alia immobilia assignabantur Ecclesiis matricibus, ut ex eorum annuis redditibus, fidelium communitati consuleretur, ut refert *Gonzal. in cap. 1. n. 7. de præbend. & dignit.* 48.

Ad imitationem igitur Apostolorum omnes clerici in communi 49.

muni vivebant,nec aliquid proprium habebant, *can. dilectissimis fratribus . can. quia tua fraternitas , & can. scimus 12. qu. 1.* sed de decimis, & oblationibus vivebant, *can. Clericus. 12. qu. 1.*
o. Unde juxta Ecclesiam claustra erant constituta, in quibus Clerici disciplinis Ecclesiasticis vacabant, *can. necessaria. 12. qu. 1. Pignatell. tom. 9. consult. 81.* & vivebant sicut hodie vivunt Regulares, quia tex. in dicto *can. necessaria*, non intelligitur de monachis, seu regularibus, sed de omnibus Clericis, ut patet *ex can. duo sunt genera. 12. qu. 1. cap. non amplius, & cap. authoritate. de institutionib.* & quando aliqui clerici se abstinere non poterant, uxores ducebant, propria clericalia munia exercebant, & sua stipendia exterius accipiebant, *can. quia tua fraternitas. & can. nolo, ut aliquis.*
I. *12. q. 1.* Unde *D. Augustin. serm. 2. de commun. vita clericor.* dicit, quod ipse fecerat constitutionem quandam, quod nullum ordinaret clericum, nisi communiter viveret, & propriis renunciaret, & si inveniretur transgressor deponeretur; deinde mutavit consilium, & statuit, quod quicumque habere voluerit proprium, maneat ubi vult, nec ei aufert clericatum, *can. certè ego. 12. q. 1.* de redditibus tamen Ecclesiæ iste substentandus 53.
non erat, *can. clericos. can. Pastor Ecclesiæ. can. si quis, & can. Sacerdos. 1. q. 2.*

Isti clerici, & presbyteri taliter erant addicti Ecclesiis, ad 52.
quas ordinati erant, quod ad aliarum Ecclesiarum ministeriis transire non poterant, ut statutum fuit in *Concil. Nicen.* celebrato anno à Christo nato 325. sub Silvestro Summo Pontifice anno secundo Pontificatus, &
sub Flavio Constantino Imperatore anno vigesimo sui imperii, 54.
can. clericos in suis Ecclesiis. & can. fraternitatem tuam dist. 71. & prohibitum erat Episcopis de aliena Ecclesia suscipere, & illũ ordinare sine consensu proprii Episcopi, & sine literis illius, ut erat dispositum in *Concil. Sardicensi*, quod fuit confirmatum in *Synodo Carthaginensi* celebrata à Grato Carthaginensi Præsule sub Julio Papa anno à Christo nato *347. can. 5.* ut erat etiam dispositum in *Apostolorum canonib. 15. 16. & 32.* Unde *Theodorus Balsamon. ad Apostol. can. 15.* scribit opus esse volenti clerico in
alieno Episcopatu versari com- 55.
mendatitiis literis: at volenti clericalia ibidem obire munia, necessarias esse literas dimissorias, *can. illud quoq. can. de aliena*

Eccle-

Ecclesia.can.si quis ausus fuerit,
53. *cum aliis seqq.dist.*71. quæ literæ dimissoriales, & commendatitię proprii Episcopi fuerunt introductæ propter criminosos, ne videlicet infames personæ ab aliquo Episcopo suscipiantur, nam solebant aliqui officia sua, cum non poterant in suo Episcop atu, in alieno exercere, *can. duæ sunt.*19 *q.*2.*can quoniam.*21. *q.*2.*cap.fraternitati.*5. *de cleric. non residentib.* & hoc usq; ad nostra tempora servatur.

54. Poterant tamen Episcopi suos clericos ad superiores ordines promovere, secundum necessitatem Ecclesiæ, quod si clerici Episcopo volenti eos ad honorem ampliorem in Ecclesia sua promovere, obtemperare noluerint, removeri poterant ab officio illius ordinis, à quo recedere noluerunt, *can. si qui clerici. can. placuit. & can. consuluit. dist.* 74. solùm limitatur, quãdo malo zelo vellet Episcopus illum promovere, *can. Gesta. dist.* 74. vel quando ex loci qualitate, & tristitia ita affligeretur, ut vitam sibi pœnam existimaret. *can. quorundam dist.*74.

55. Ex dispositione igitur *Concil. Calcedonens.* quod fuit celebratum anno à Christo nato 451. sub Leone Magno Summo Pontifice, & Marciano Augusto Imperatore, nemo poterat ordinari clericus, nisi cum deputatione ministerii ad certam Ecclesiam, ut legitur in *can.* 6. dicti Concilii, de qua dispositione mentio fit in *can. Neminem absolutè dist.*70. ubi ita legitur: *Neminem absolutè ordinari Presbyterum, vel Diaconum, vel quemlibet in Ecclesiastica ordinatione constitutum, nisi manifestè in Ecclesia Civitatis, sive possessionis, aut in Martyrio, aut in Monasterio, qui ordinatur, mereatur ordinationis publicatæ vocabulum. Eum autem, qui absolutè ordinatur, decrevit S. Synodus vacuam habere manus impositionem, & nullum tale factum valere ad injuriam ipsius, qui eum ordinavit.* Vnde, qui per Parochias ordinabantur, Presbyteris, seu Parochianorum rectoribus èducandi, & Ecclesiastica disciplina instruendi tradebantur *Pignatell. to.*9.*consult.*81.*n.*1.*& seqq.*

Propagata deinde amplioribus spatiis fide, auctoque non tantùm fidelium, sed etiam clericorum numero, fuerunt etiam aucti oblationum provẽtus, cœpitq; dissolvi clericorum cõmunio, & universa Ecclesiæ bona in quatuor partes divisa fuerunt à S.Simplicio anno Christi 467. quorum prima Episcopo, secunda fabricæ, tertia clericis, & 56.

quar-

quarta pauperibus assignata est, ita ut clerici ad tertiam partem vocati, singuli pro meritis ab Episcopo portionem acciperent, & ex ea congruam sibi perciperent, *can. vobis. can. de redditibus. can. Vulteranæ. can. quatuor. 12. q. 2. can. præsulum. 16. q. 3.* Et quãvis post istam bonorum divisionem ferè soluta fuerit vita illa communis, nonnulli tamen clerici majoris perfectionis secta tores societatem retinuerunt, & ex prædiis communitati assignatis sibi victum, & vestitum assu-
57. mebant, qui Canonici dici cœperunt, vel quia canonicè viverent, vel à Canone, idest regula, quam servabant, *cap. quoniã. de vit. & honest. Cleric. Gonzalez in cap. 1. n. 9. de præbend. & dignit.* vel ut dicit *Jo: Cabassut. in notitiis Concilior. fol. 140. & 141.* denominatio *Canonicorum*, olim tributa fuit Ecclesiæ cantoribus, ut patet *ex Concil. Laodinceno can. 15. Carthagin. 4. can. 10.* ibi: *Quod non oportet præter Canonicos cantores, qui suggestum ascendunt, & qui ex membrana psallunt, aliquos alios canere in Ecclesia*, & Canonici dicebantur, non à Canone, seu regula, sed à Catalogo Clericorum, qui ministerio Ecclesiæ addicti erãt, & de sportulis, ac oblationibus Ecclesiæ participabant, unde in *Concil. Nicen. can. 16.* habetur: *Sacerdotes, aut Diaconi, aut generatim, quicumque sunt in canone recensiti, & can. 17. Plerique in canone recensiti, avaritiam, & turpe lucrum sectantes, &c.* qua ratione, illa quoque Liturgiæ pars, in qua Sanctorum conscripta nomina pronunciantur, quorum opem Sancta Ecclesia ante, & post mysticam consecra. 6.
tionẽ invocat, ex antiqua denominatione *Canon* dici solet, ex quo vox *Canonizandi* videtur originem trahere, nam vel in Missæ Canone nomẽ adhibebatur ejus, quem Ecclesia vindicabat vel ut nova per Ecclesiam potestas fieret publicè colendi, & invocandi illum in Canone, hoc est in Sanctorum Catalogo inscribebatur. 58.

Fuit deindè illa quadripartita divisio bonorum Ecclesiæ prorsus antiquata, nam portio pauperibus assignata, Episcopis tributa est, cum onere tamen alẽdi pauperes: portio Clericis assignata cessavit, & loco eius certi, & determinati redditus Ecclesiasticis officiis assignati fuerunt, quibus Ecclesiæ ministri, tanquam rebus propriis, absque ulla Episcopi authoritate uterẽtur, quod jus percipiendi eos, coniunctum cum 5.
spirituali ministerio, generaliter *Beneficium* appellatum fuit; quod

no-

nomen inventum, & assignatio
singulis ministeriis facta fuit an-
no salutis 813. ut colligitur ex
Concil. Mogunt. eodem anno ce-
lebrato, de quo mentio habetur
in *cap. 1. de Eccles. ædifican.* ubi
prima mentio fit beneficii Ec-
clesiastici; qui Ecclesiastici red-
ditus ministeriis assignati fuerũt
ab Ecclesiasticis Legislatoribus
60. nomine Præbendæ etiam signifi-
cati, quia sacris militibus ab Ec-
clesia præbentur. *cap. cum M. de
constit. can. si Monachus. 16. q. 1.*
vel quia pro modo, & mensura
præbebantur clericis, & ita præ-
benda non solum accipitur pro
beneficio, sed etiam pro fructi-
bus beneficii. *cap. inter. de præ-
bend. & dignit. cap. cum in Eccle-
sia. eod. tit. in 6.*

61. Ex hoc fuit statutum, quod
nemo poterat Ecclesiam ædifi-
care, nisi prius coram Episcopo
loci præfiniret, quæ ad lumi-
naria, ad custodiam, & ad sti-
pendia custodum sufficentia
erant, deinde Episcopus in lo-
co ubi erat Ecclesia ædificanda,
Crucẽ figebat, & publicè atrium
designabat, *can. nemo Ecclesiam.
9. de consecrat. dist. 1.* & ex hoc
ædes fidelium Divino cultui
62. mancipatæ *Tituli* dictæ fuerunt,
quia in eis crucis signum in titu-
lum apponebatur, sicut Jacob
Patriarcha *Genes. 28.* volens cõ-
secrare locum, in quo viderat
Angelos per scalam ascenden-
tes, & descendentes, erexit la-
pidem in titulum, fundens oleũ
desuper, nomenque urbis appel-
lavit Bethel, hoc est domum
Dei; *& lapis iste, quem erexi*, in-
quit, *in titulum vocabitur domus
Dei*, quæ Ecclesiæ per congrua, 63.
& utilia loca erant ædificanda,
& in singulis deputandi erant
Sacerdotes Deo dicati, qui di-
vinis orationibus vacare debe-
bant, *can. Ecclesias 16. q. 7. can.
Ecclesias. 13. de consecrat. dist. 1.*
quæ deputatio, & nominatio
Sacerdotis, fieri poterat à laico 64.
fundatore Ecclesiæ, cum consen-
su tamen Episcopi, à quo erat
petenda confirmatio nominati,
*can. decernimus. can. monasteriũ,
& can. inventum est. 16. q. 7.* Non
poterat tamen laicus fundator
Ecclesiæ expellere Presbyteros
ab Ecclesiis, in quibus tempore
ordinationis eorum nominati,
& introducti erant. *can. contra
Sanctorum. 16. q. 7.*

Ecclesiæ igitur ita erectæ *Ti-* 65.
tuli dicebantur. *cap. dilectus. de
capel. Monachor. & clerici* inti-
tulati, dicebantur beneficiati,
qui Ecclesiis præfecti erant. *cap.
3. de cleric. conjugat.* Nec credas
omnes Basilicas olim titulos
fuisse, sed tantum tituli erant
præcipuè Ecclesiæ, nec statim

presbyteri in illis titulares ap-
ponebantur, sed alicui commen-
dabantur, usque dum in earum
titulum presbyteri ordinaren-
tur; unde Damasus duas Basili-
cas dedicavit, & unam tantùm
ex illis in titulum erexit, & ita
66. poterat unus presbyter habere
unam Ecclesiam in titulum ere-
ctam, & aliam in commendam,
quæ nondum in titulum erecta
erat, tanquam membrum, seu
capellam principalis Ecclesiæ,
can. qui plures. 21. *q.* 1. duabus ta-
men Ecclesiis non poterat cle-
ricus intitulari, *can. clericus*, &
can. clericum. 21. *q.* 1. *can. Sancto-
rum canonum. dist.* 70. *cap. quia
non nulli.* 3. *de cleric. non resident.
cap. quia in tantum. de præbend. &*
67. *dignit.* Imo unus clericus in una,
vel duabus Ecclesiis non debet
plures dignitates, vel persona-
tus habere, quia singula officia
in Ecclesiis assiduitatem exi-
gunt personarum, *cap. ad hæc.* 13.
de præbendis.

68. Nemo poterat tali tempore
ad ordines admitti sine assigna-
tione determinati tituli, & ordi-
natio facta sine assignatione ti-
tuli irrita habebatur, *can. San-
ctorum canonum distin.* 70. Tene-
batur in Ecclesia, in qua titula-
tus erat perpetuò perseverare,
d. can. Sanctorum canonum. Un-
de is, qui clero ascribebatur ju-
ramento spondebat stabilita-
tem in Ecclesia, cui per ordina-
tionem primùm astringebatur,
qua sponsione se devincere Bar-
cinonensi Ecclesiæ S. Paulinus 69.
recusavit, & D. Hieronymus
Antiochenæ Jo: *Cabassut. in
notitiis Concil. fol.* 114. *& seqq.
Gonzal. in cap.* 4. *n.* 6. *de præbend.
& dignit.*

Tenebatur igitur Episcopus, 70.
dum aliquem in clericum ordi-
nabat, titulum ei assignare, de
quo necessaria vitæ percipiebat;
alias tamdiu ei necessaria sub-
ministrare debebat, donec in
aliqua Ecclesia ei convenientia,
stipendia militiæ clericalis assi- 74.
gnarentur, *cap. non liceat.* 2. *cap.
Episcopus.* 4. *cap. cum secundum*
16. *de præbend. & dignit.* A quo 71.
onere erat liberatus Episcopus
quando clericus de sua, vel pa-
terna hæreditate subsidium vitæ
habere poterat. *cap. Episcopus.* 4.
& cap. tuis. 23. *de præbend. & di-
gnit. can. Sacerdos. & can. clerici*
1. *q.* 2. Verùm istis erat danda 72.
merces proprii laboris, quia di-
gnus est operatius mercede sua,
& nemo cogitur suis stipendiis
militare, *cap. cum ex officii.* 16.
*de præscrip. cap. cum secundum A-
postolum.* 16. *de præbend. & di-* 75.
gnit.

Clerici verò illi, qui in Ec- 73.
clesia erant canonicè instituti,

& in choro, ac capitulo potestatem habebant canendi, & faciẽdi omnes actus canonicales, Canonici Chorales dicebantur, & eis erat assignanda præbenda, *cap. relatum. 9. & cap. dilectus. 19. de præbend. & dignit.* qua ratione Canonici præbendarii etiam dicebantur, *can. sanctorum canonum. dist. 70.* & tenebantur residere in Ecclesia, ac proprium adimplere officium. *cap. tuæ fraternitatis. 12. & cap. cum ad hoc. 16. de cleric. non resident.* ideò duabus Ecclesiis intitulari non poterãt. *can. sanctorum canonum. dist. 70.* cum aliis supra allegatis.

74. Clerici verò non præbendati poterant duas Ecclesias habere de licentia Episcopi. d. *can. sanctorum canonum.* & illi, qui in gradu clericali erant, & semel spontè, vel à parentibus Ecclesiæ, vel Monasterio oblati, & in tali casu legere, vel canere cœperunt, non erat eis licitum, neque ad militiam, neque ad aliquam mundanam dignitatem venire, ut fuit statutum anno Domini 895. in *Concil. Tribueriens. can. 27.* & refertur à *Gonzalez in cap. clericus 6. de vit. & honest. cleric.*

75. Tanta erat hæc obligatio clericorum permanendi in propria Ecclesia, quod Gregor. VIII. qui fuit creatus Pontifex anno 1187. statuit, ut universi Episcopi, tam Occidentales, quam Orientales indicerent clericis propriæ suæ Ecclesiæ, ut intra claustra in cõmuni dormitorio, & refectorio viverent, ut illis seculis ferè in omnibus Provinciis Catholicis moris erat; siquidem Canonici 76. cum proprio Episcopo vitam regularem agebant, ut ita clerici in propriis suis Ecclesiis essent assidui, & debitis temporibus divina celebrarent officia, ac horas canonicas persolverent, *Gonzalez in cap. quoniam. de vita, & honest. cleric.* & in Ecclesiis erat 77. servandus ille numerus clericorum, qui poterat juxta facultates Ecclesiæ sustentari. *d. cap. quoniam.* ubi *Gonzal. n. 2. cap. 1. & 3. de instit.* quod etiam statutum fuit ab Imperat. Iustin. in *Auth. quomodo oporteat Episcopos. §. sed neque effusas. Gonzalez in cap. 1. n. 5. de institut.*

Ex his patet responsio ad se- 78. cundam rationem, & oppositionem adversariorum, nam priscis temporibus omnes clerici erant specialiter addicti servitio specialis Ecclesiæ, à qua discedere non erat eis licitum, sed tenebãtur in proprio officio ministrare, ut dictum est; sed ex quo desiit laudabilis ista consuetudo deputandi clericos, tempore ordinationis, ministeriis certæ, & pecu-

liaris Ecclesiæ, facta est omnibus libertas ab una ad aliam Ecclesiam commigrandi, dummodo residere non teneantur ratione proprii officii, vel beneficii, ut tradit *Cabassut. in notitiis Concilior. fol.* 115. & ita clerici, qui re-
79. sidere non tenentur, desides à ministerio Ecclesiæ appellari absq; ignominia possunt; ut fertur de S. Paulino Nolæ Episcopo, *Gonzalez in cap. 4. n. 6. & 7. de præbend. & dignit.*

80. Negotiatio autem, specialiter prohibita est clericis cantoribus, idest deputatis servitio Ecclesiæ. *cap. providendum. 1. ne cleric. vel monach.* licet universaliter omnibus clericis sit probita turpis, & inhonesta negotiatio, vel quæ gratia turpis lucri fit. *cap. clerici officia. 15. de vit. & honest. cleric.*
81. *d. cap. providendum*. tutelam autem exercere negotiari non est, & si turpe non est legitimã exercere tutelã, nec turpe erit exercere testamentariam, imò laudabile, ita exigente charitate, & bono publico, cùm testatores, ecclesiasticos ad tutelas vocent, ut parvulos omni fide, & tota animi sui educent sanctitate, ut loquitur tex. in *can. irreligiosum.*
82. *dist. 87.* requiritur tamen licentia Ordinarii, ut à continuato servitio dispensetur; sed qui vellet illum cogere ad suscipiendam tutelam testamentariam, posset excommunicari, ut loquitur tex. in *can. neque apud dist.* 88. & in *can. Cyprianus. 21. q. 3.*

Ad tertiam rationẽ dicimus, 83.
quod hodie ex dispositione *Trident.* non omnes Clerici, sive in Minoribus, sive in Sacris Ordinibus constituti, taliter ascribũtur servitio Ecclesiæ, ut ab illa discedere non possint, sicut prius erat, sed solùm illi, qui ordinantur ad titulum Ecclesiæ, non verò ad titulum Patrimonii, isti enim residere in Ecclesia non tenentur. Pro cuius solutionis intelligentia.

Sciendum est, quod antè Tri- 84.
dentini promulgationem, poterat Episcopus clericos suos ad diversos titulos ordinare. Primò, ad titulum beneficii. *can. neminẽ absolutè. & can. sanctorum canonum. dist. 70. cap. Episcopus. 4 de præbend. & dignit.* ubi *Gonzalez n. 4.* Secundò, ad titulum proprii patrimonii. *d. cap. Episcopus. 4. in fin. & cap. tuis. 23. de præbend. & dignit. can. Sacerdos, & can. clerici. 1. q. 2.* Tertiò, ad titulum alieni beneficii. *cap. postulasti. 30. de iurepatronat. cap. per tuas de simon.* Quartò, ad titulum stipendii ab Episcopo sibi assignandi super fructibus suæ mensæ episcopalis. Et quintò, ad titulum pensionis, seù stipendii à laico

assignandi. *Barbos. ad Trid. sess.*
85. *21. de reformat. cap. 2. n. 2.* At hodiè per *Trident. loc. cit.* ordinari non potest quis in sacris, nisi beneficium ecclesiasticum habeat, vel patrimonium, & tunc potest illum ordinare pro necessitate, vel utilitate Ecclesiæ; & dum *sess. 23. cap. 16. de reform.* dicit, quod ordinatus pro utilitate, vel necessitate Ecclesię non debet ab illa recedere sine licẽtia sui Epi-
86. scopi, intelligitur de ordinato ad titulum Ecclesiæ, non verò ad titulum Patrimonii. *Barbos. ad Trid. sess. 21. de refor. cap. 2. n. 15.* quia ordinati ad titulum Ecclesiæ propriè dicũtur adscripti servitio Ecclesiæ, & ex redditibus Ecclesiæ vivunt, illi verò, qui sunt ordinati ad titulum patrimonii, licet sint ascripti servitio Ecclesiæ, nõ tamen cogi possunt ad serviendũ, nisi stante necessitate, nec ei est denegãda licentia discedendi, cum sint sui iuris, nec alicuius servitio obligati sint, cũ nullum obtineant beneficiũ,
87. quod aliquo egeat servitio: immò obtinentes beneficia simplicia, non possunt ab Episcopo cogi ad aliquod personale servitiũ suis beneficiis impendendum, cum ex antiquissima totius Ecclesiæ consuetudine non nisi ad officium recitandum teneantur, ut declaravit S. Congreg. apud *Pignatell. to. 3. consult. 56.*

Addo, quod per istam adscriptionem ad servitium Ecclesiæ Concil. Trid. non intendit onus servitutis imponere, sed tantùm assignare certam Ecclesiam, ubi quisque ordinatus fungatur muneribus sui ordinis, neve dicatur incertis sedibus vagari, unde quia talis ascriptio fit ad finem exercendi functiones cuiusque ordinis, antequam dentur alii superiores ordines. *Trid. sess. 23. cap. 11. & 13. de reformat.* talis obligatio cessat in Sacerdotibus, qui superiorem ordinem non expectant, nec cogi possunt ab Episcopo, quando officium, & beneficium non habent, *Pignatel. l. cit. n. 14. & 15.* 88.

Ad quartam rationem dico, quod non est curandum de multitudine DD. qui pro contraria opinione sunt, quia quando clara, & finita sunt iura, non est curandum de authoritate Doctorũ, *Petrus Loriot. in l. 1. verb. Celsus ait. n. 7. D. si certum petat. & D. August. ad Fortunatianum epist. 112.* de qua mentio habetur in *can. neque quorumlibet dist. 9.* inquit: *Neque quorumlibet disputationes, quamvis Catholicorum, & laudatorum hominum, velut scripturas canonicas habere debemus, ut nobis non liceat salva honorificentia, quã illis debetur hominibus,* 89.

bus, aliquid in eorum scriptis improbare, atque respuere, si fortè invenerimus, quod aliter senserint, quam veritas habet, Divino adiutorio, vel ab aliis intellecta, vel à nobis.

90. Cum igitur, ut probatum est, clara sint iura pro nostra opinione, secundum expositionem traditam, non est curandum de multitudine DD. præsertim quia isti aliter senserunt, quam veritas habet; unde sicut veritate manifesta necesse est, ut consuetudo cedat veritati *can. veritate*

91. *dist. 8.* & quelibet consuetudo quantumvis vetusta, quantumvis vulgata, veritati omnino est postponenda, & abolendus est usus, qui veritati est contrarius *can. si consuetudinem dist. 8.* ita pariter manifestata veritate in quo sensu loquuntur leges, & iura, quæ à contrariis adducuntur pro eorum opinione, non est curandum

92. de multitudine DD. Non enim novum est, quod leges interpretationem recipiunt ex causa, ex persona, ex loco, ex tempore, ut tradit Isidorus relatus à *Gratian. in can. sciendum. dist. 29.* ubi ita legitur. *Sciendum est, quod pleraq; capitula ex causa, ex persona, ex loco, ex tempore consideranda sunt, quorum modi, quia medullitus non indagantur, in erroris labyrintum nonnulli intricando impinguntur, cum ante iudicant, quam intelligant, ante inculpant, quam iterãdo lecta perquirant;* ita de facto 93.

patet in capitis diminutione, nã licet per emancipationem dicatur haberi minima capitis diminutio *Instit. de minima cap. diminut. §. minima.* tamen quia talis lex loquebatur pro eo tempore, quo emancipatio per immaginariam venditionem fiebat, ideo sublato tali modo emancipandi, est etiam sublata minima capitis diminutio per emancipationem, ut tradit *Thadeus Piso. Soacius in tit de cap. diminut. n. 7.*

Quantum ad tertiam partem 94.

mei dicti scilicet quod iure civili inspecto Episcopi, & monachi nullam tutelam suscipere valent p. ex *Auth. Presbyteros. §. fin. C. de Episc. & Cleric.* ibi: *Episcopos autem, vel monachos tutelam alicuius personæ subire non permittimus. Auth. de Sanctis. Episcop. §. Deo autem amabiles Episcopos, & Monachos ex nulla lege tutores, aut curatores cujuscũq. personæ fieri permittimus.* Et quidẽ in istis militat ratio, ne distrahantur à Divino servitio; in Episcopis tamen specialiter limitari potest de iure canonico, ut p. *ex can. licet. can. defensionis. cum alijs seq; dist. 87.* quia pater pauperum dicitur, & pauperibus succurrere tenetur, nemo autem magis pauper dici potest,

quam

quam pupillus; cogi tamen non potest ad tutelam suscipiendam.

95. Verum tam Episcopi, quam Monachi habilitati sunt ad tutelam legitimam de iure canonico *can. pervenit. dist. 86.* & prohibetur clericis negotia suscipere,& prædia conducere cupiditatis causa, sed non causa pietatis; scilicet propter curam pupillorum, orfanorum, ac viduarum *can. decrevit. dist. 88.* Non debet tamen

96. Episcopus gubernationem viduarum, & pupillorum, ac peregrinorum per se ipsum, sed per alium exercere *can. Episcopus gubernationem. dist. 88.*

97. Vltima tandem pars mei dicti, videlicet quod Presbyteri, & Monachi possunt esse exequutores testamentarii p. ex *Constit. 68. Leon. Imperator. tit. ut Monachi, & cleric. tutor esse possint*, ubi expresse dicitur, quod monachi, & omnes illi, qui sacro ordini erãt devicti, tutorum officio fungi nõ poterant, secundum dispositionem veterum legislatorum, quia tunc temporis uniformis, & simplex tutela erat, & ii tantùm tutores dicebantur, qui pupillorũ tuitionem suscipiebant, quod rectè statutum fuit, quia qui Divino ministerio consecrati erant, ab externarum rerum occupationibus, & molestiis liberi esse

98. debebant. Verùm quia posteriores legislatores appellatione tutorum non solùm intellexerunt illos, qui tutelam administrant, sed etiam quibus testatores, bona illorum estimatione moti, testamentarias de rebus suis prescriptiones committunt, ac post mortem earum executionem committunt, ideo licet à prima 99.
tutela sint exclusi Monachi, & qui sacrum ordinem subierunt; à secunda tamen non sunt exclusi, sed illam liberè subire possunt, quia talis cura non ita gravis est, ut à Divino ministerio aliquis abstrahatur, & ita meliùs, & cautiùs defunctorum voluntates custodiuntur, quam si essent commisse illis, qui prophanis rebus impurè inhærent, ac terrenis sordibus volutantur. Legas dictã *Constitut. Leon. quæ in tom. authentic or. habetur.*

Unum tamen verum est, quod 100.
Episcopi, Sacerdotes, & Monachi non possunt officium Baliatus exercere, quia à tali officio sunt omnino exclusi, ut tradit *Cardilis de Luca lib. 2. de feudis discurs. 19.* & in istis terminis est intelligendus *Cæsarus in sua q. 19.* quia in eius causa de baliatu disceptabatur. Hæc disputando dixi, in omnibus tamen me submitto correctioni prudentum, ac determinationi S. R. E.

FINIS.